

1
6
50









EXERCITATIONVM THEODORI ANGELVTII CVM FRANCISCO PATRITIO.

Liber Primus.

In quo de Metaphyſicorum Authore, appellatione, & diſpoſitione diſputatur.

Et quòd Metaphyſica ſint eadem quæ Phyſica iterum aſſeritur.

CVM PRIVILEGIO.



VENETIIS, Apud Franciſcum Zilettum.

M D L X X X V.



MELCHIORI GVILANDINO VIRO OMNI DOCTRINAE genere ornatissimo.

Theodorus Angelutius. S. D.



ROXIMIS idibus Augusti redditus est mihi Francisci Patritij nomine libellus quidam cum hoc titulo FRANCISCI PATRITII APOLOGIA CONTRA CALVMNIAS THEODORI ANGELVTII, eiusq; nouæ sententiæ, quòd Metaphysica sint eadem qua Physica euersio: quem postquam iterum, atque iterum legißem, nihil minus comperi, quàm ab illo me aut calumniarum, aut falsæ sententiæ nomine vere, & cum ratione reprehendi. Conuitijs plurimis & me & Aristotelem ipsum, & Theologos, qui vulgò Scholastici appellantur, & omnes, qui Peripateticam doctrinam in gymnasiis ab Auerroe ad hæc vsque tempora professi sunt, impeti ab aduersario & lacessiri animaduerti, & quidem talibus, vt honestis viris honos nullus sit ea nisi cum nausea, & stomacho legere; at veritatem, siue historica, de quibus magnopere tamen gloriatur, siue philosophica spectauerim, nullam propemodum in ea tota opella inuenire potui; quæ res me potissimum impulit ob amorem studiosos modo quolibet iuuandi, & ob veritatis, qua nihil Philosopho debet esse antiquius eximiam charitatem, vt de respondendo cogitarem; ita tamen vt maledicta pro maledictis non referrem; (neque enim, vt Aristoteles, & Epictetus aiunt, lædere quemquam aliquis quantumuis iniuriosus nisi ipse seipsum potest) sed in id solum studerem, operamq; omnem meam ponerem, vt aduersarij errores, fucos,

laruas, & contradictiones detegerem ex summa inscitia profectas, ac specie solum quadam, & infantia orationis coloratas; ne iuuenes, qui minus cauti esse solent improuidè in Scyllæam rabiem impingerent; quã is magnopere furens Peripateticis omnibus & ipsi Peripateticorum Principi Aristoteli intentare præsentem mortem videtur, non ob aliam vt puto causam, nisi vt (quæ est hominis dementia) aliorum fama & existimatione imminuta.

Secum honor, & laudes, & læto gloria vultu.
Et decus, & niueis victoria concolor alis,
Se cinctus lauro perducat ad astra triumphus:

Neque verò mihi dubium est ambitiosum hunc Thrasonem iamdiu Herculem aliquem de peripato expectaße, qui secum congrederetur, pro Aristotelisq; & communi Gymnasiorum dignitate decertaret; impotenterq; tulisse neminem ex nobiliori ordine illum tanto honore dignari voluiße; sed tantisper nostræ sectæ proceres cunctatos eße, dum ego Troilus tanto congrederer Achilli grammatistes grammatico, literatorq; literato, quo neque vincens, neque victum gloriæ fructum aliquem hoc Mundi Cymbalum se poße consequi speraret; atque illud anili studio celerare in re maxime concupita cùm risu intuerentur. Non tamen mihi quamquam Peripateticorum infimo, & capite tantum censo ab huiusmodi hoste magnopere timendum puto, quem seu prorsa, seu versa contentionis oratione vtatur; vtroque modo à me superatum iri confido; si disputationis momenta non ex iurgijs, probris, & contumelijs, sed ex veritate æstimentur; quoniam neque solidæ eruditionis, neque ingeniosæ subtilitatis quicquam habet, quo mihi pugnando negotij multum faceßat; non multis itaque vigilijs, non anxio conatu, non sollicita lectione ad respondendum opus habui; horarumque numerus si subducatur in hoc qualecumque est opus insumptarum, quatuor integros dies nequaquam confecerint: suffulcit ille se, & quidem occupatißima uanitate testimonio solum aliquo rancidæ vetustatis, eoq; aut non integro, aut non bene intellecto, aut praue torto, quasi ego, & illi qui nunc Peripatetici dicuntur, poetæ illi.

Similes simus, cuius sunt ij versus
Prisca iuuent alios, ego nunc me denique natum
Gratulor, hæc ætas moribus apta meis.

Solusq; Patritius in antiquitatis viscera inspexerit, cui tamquam illius oraculo cuncti obuijs manibus in re quauis dubia porrigere he-

bam

bam debeant; quod iniustissimum, & iniquissimum esse cum ex alijs multis nostra tempestate doctissimis viris, tum maxime ex te dilucidum esse potest; qui cum vetustatis vniuersa volumina, fragmentaq; diutissime versaueris; indeq; reconditam de antiquorum Philosophorum placitis cognitionem hauseris, non tamen recentiorum temporum Philosophos negligis; neque aliquem, quia antiquior fuerit Aristoteli in doctrina præfers; latinosq; Peripateticos sic cum Græcis, & Arabibus coniungis, vt ex omnibus omnia accepisse, & potiora selegisse videaris: viuos autem, & pellucidos Aristotelis latices sic diluto Platonis nectare misces, vt de rerum diuinarum cognitione æque vt de illarum, quæ sub generatione, & corruptione fluitant iuremerito gloriari possis; ob id auditores, quos frequentissimos semper habes de gloriosis illis viridarij tui aggeribus nunc incredibili exemplorum facilitate, & lenissima orationis suauitate doces, nunc opulentia & varietate opinionum oblecta, nunc subtilissimis inuentis, & argumentis in stuporem allicis; ac ijs denique ab ore tuo tamquam ab Hercule quodam Celtico pendentibus omnem de te admirationem exhibes; ita vt seu publicè, seu priuatim disserentem, seu de rebus humanis iucundissime loquentem audiant; & singularem eruditionem, & honestissimos mores & gratissimæ consuetudinis modos cum primis suspiciant; teq; virum iudicent sic honeste natum, vt satum Apolline, sic ingenue educatum, vt a Gratijs altum. Sic docte eruditum vt alumnum Iouis & dicant, & prædicent. Tu igitur præ reliquis rectissimus iuxta, & æquissimus iudex esse poteras in rebus mihi cum Francisco Patritio controuersis; quemadmodum tibi vni tamquam & Peripateticorum, & literatorum omnium corypheo pro Aristotele, & Peripateticis susceptæ defensiones debebantur, quia communis mihi & cum Aristotele, & tecum, & cum Peripateticis alijs ab isto Patritio est illata iniuria, quod ne alienæ gratiæ aucupandæ causa a me fictum videri possit ipsissima eius verba adducam. Et primo

„ ea, quæ sunt in posteriori parte tertiæ paginæ. quod si vos Peripatetici non conceditis, nec fatemini, nihil mirum; pugnax enim, & contentiosum, & cauillosum hominum genus estis; & qui vos inter vos ipsos de quauis vel minima recula, vel verbulo discordes incessanter depugnatis, ac etiam iurgatis, & indesinens bellum cietis; idq; euenit (modestos non admodum sanè multos, qui & se aliquid nescire posse credunt, & alios aliquid scire posse concedunt, excipio) quia fastosum, & inflatum, & omnia sibi quæ in cælo, quæ in ter-

ra

„ ra sunt arrogans genus estis; vt qui nedum eos, qui Aristotelem non
„ admirantur, nihil prorsus scire posse putatis; sed inter vos ipsos ne-
„ mo sit vel minimus de plebe, qui vel maximo de vestro grege Sena-
„ tori ne latum quidem vnguem concedat: si Aristoteles in gymna-
„ siorum sedibus sedet pro tribunali, eorum gymnasiorum veteres le-
„ ges, & instituta in causa sunt, non autem Aristotelicæ doctrinæ vel
„ magnitudo, vel copia, vel certitudo; in qua iam præ vestris quæstionibus
„ infinitis, & perpetuis contentionibus, ac rixis nihil certi, aut firmi sta-
„ tui potest; in qua, tam paucis libris, qui in Academijs ex earum le-
„ ge præleguntur, logici scilicet ordinis, aliquorum partes non integræ, ac
„ Metaphysici, & Physici, de cælo, de generatione, de meteoris, ac
„ de anima, aliquot vti vocatis textus, nulla Philosophiæ copia, nulla
„ resolutio certa apparent; ex quibus tam pauculis, ac tanta eorum,
„ ac perpetua dubietate, & contentione, & etiam in vtramque par-
„ tem disputatione ecquid magni, ecquid certi, ac scientifici scire po-
„ testis? quando ne eos quidem, quorum pauculas particulas multo-
„ rum annorum circuitu in scholis publicè declamatis, totos perlegerint
„ ij, qui per triginta, aut amplius annos doctores aliorum sunt constitu-
„ ti: mutate statuta gymnasiorum, de sedibus, ac dignitate eijciemini;
„ statutorum ergo id beneficium est non Aristotelicę doctrinæ, quòd re-
gnatis. In priori parte sextæ paginæ hæc apud eiusdem Patritij con-
tra me Apologiam subsequuntur. In Aristotelis scientia nihil est
„ solidum, nihil firmum, nihil certum, nihil non sexcentis dubitationi-
„ bus agitatum: ne Pyrronia quidem secta illa in tanto incertitudinis
„ salo iactata est, in quanto post Auerrois hæc Aristotelica & iactata
„ fuit, & etiam nunc est, ac forte erit in posterum; in tantum contentio-
„ num, ac rixarum studium Peripatetici hi exarserunt, vt tamquam
„ pro aris & focis pertinacissime, maxime cauillosis concertationibus
„ depugnauerint; quod sanè Græci, Hebrei, & Arabes, minime fecerunt,
„ sed sincerius sunt in Aristotele versati latini nominis barbari, soli hoc
„ nugosarum quæstionum pelagus concitarunt: Scholasticos verò lati-
ni nominis Peripateticos sic nominatim insectatur posteriori parte ter-
„ tiæ paginæ. Theologos nostros veteres catholicæ nostræ fidei columina
„ recentiores isti planos vacitant, eò quòd non sint ad normam scholasti-
„ corum argumentosi, & eristici. ac parte posteriore paginæ 18. rursus
„ sic. in tempore quòd ab Auenrois ad nos defluxit innumeri sanè fue-
„ runt scholastici scriptores, quos ego neque Aristotelicos, quia eius scri-

pta

„ pta non intellexerint, nec Peripateticos, quia à veteribus Peripate-
„ ticis dissenserint, fuisse concedo; & certo scio non fuisse. His imperitiæ, & nequitiæ telis magnus hic syllabarum mensor misellos nos Peripateticos, ac tribunal etiam nostrum proscindit, dilaniat, membratimq; discerpit; quasi opiliones, & bubsequæ aliqui essemus non Orbis, & Naturę circumspectores; quę ego retundere conatus sum acie tota in quinque partes distributa; quarum prima responsiones continet ad ea, quæ aduersarius in epistola ad Cæsarem Cremoninum contra me improbè perscripsit; secunda depellit omnia, quæ idem contra epistolam a mę priori operi affixam putide effutijt: tertia pręfationis meæ discussionem & examen habet. quarta assertiones aliquot, quibus rem totam de Aristotelis in Metaphysicis instituto explicabam ab egregij istius antigonistę calumnijs vendicat. Quinta quam frigidè & pueriliter, ille sibi meę de Metaphysicis sententiæ argumenta infringere visus fuerit, clarè ac perspicuè ostendit. Tu me ama; etiamq; atque etiam vale. Taurisi, Pridie Non. Octobris.

Anno M D LXXXIIII.

Errata Typographica inſigniora ſic corriguntur.

Primus numerus indicat paginam, ſecundus lineam: a, ſignificat anteriorem. b, poſteriorem partem paginæ.

pag.		lin.	Errata	Sic corrigito
2	b	4	Criſticum	Eriſticum
		9	longinquitatem.	longinquitate.
		39	calamitatem	calamitate
3	b	2	Coclium.	Cœlium.
		4	iſtius etiam	iſtius culpã etiam
5	a	16	tingo.	ringo.
	b	2	uoluiſſe	noluiſſe
		2	ſcriptos	ſcirpos
6	a	22	contrauicit	contradicit
	b	8	Ariſtoteli	Ariſtotelis
		15	cum	eum
		37	veru	vero
		38	offenſa	offuſa
		38	appleta	oppleta
7	a	8	Apilliconti	Apelliconti
	b	3	hominibus	omnibus
		14	traditionem	traditione
		31	idiomam	idioma
		36	Iambrycho	Iamblycho
		42	matribus	manibus
8	a	18	meas	notas
	b	26	eruditione iudicare	eruditione non poſſe iudicare
9	a	18	noſtris	noſtri
	b	2	annonæ	an nouæ
10	a	21	cum	eum
	b	27	ſtromb.	ſtromatum
12	a	43	quantum eſt	quantũ quantum eſt
	b	19	& ægrum	eſt ægrum
13	a	2	fatebre	fatebere
	b	43	inuenire	inueniri
15	a	22	Syllabanus	Syltabarius
17	a	35	oculationib.	oculatiorib.
18	a	10	perum	parum
		17	demo	nemo
		41	aperſit	aſperſit
19	a	1	fortitur	fortiter
		41	pro me	per me
	b	34	quod inueni	quod non inueni
21	b	13	effectam	effœtam
24	b	27	eumdem	eudem
25	b	13	excedit	excidit
		25	lege	legere
		30	quoſquis	quoſuis
26	a	8	conqueſtus	conqueſtos
		37	docent	docet
	b	39	defectionis	defectiones
		39	propterea ipſa	propterea ꝙ ipſa
27	b	4	ineptiores	ineptior es
		4	eis	eius
		22	criſtice	eriſtice
28	a	37	ne	ue
	b	7	umen	lumen
		12	aufert	auferet
29	a	26	reſipiſcãt in inſignem	reſipiſcãt inſignem
	b	25	qui re	qua re
30	a	13	ſcriptas	ſeipſas
32	a	6	cuius	cuiuis
		10	error que tum	error quem cum
	b	10	coniunctam	coniuncta
33	a	20	naturali	naturalis
		20	eſſet	eſt
	b	30	genera	genus
36	a	3	reſpondens	reſpondes

LIBRI PRIMI EXERCITATIONVM THEODORI ANGELVTII CVM FRANCISCO PATRITIO.

Sectio Prima, & Exercitatio Prima.



SCITVM est illud in Peripato parentibus, & præceptoribus tantum nos debere, quantum persoluere possibile non sit; ob id nullos extare Peripateticos puto, animo præsertim ingenuo, & liberali, qui Aristotelem summis amoribus, & studijs non prosequantur; tamquam de se, totoq; humano genere optime meritū: quid enim potentius, & ad inci tandum accōmodatius sapientiæ stimulis, quam constat plenissime illum tradidisse, ac posteris velut rem sacram reliquisse? at natura comparatum est, vt in illos vehementissime cōmoueamur, quos in amores, & delitias nostras capitali odio suffusos nouimus: Cum igitur tomos quosdam tuos discussionum Peripateticarum Francisce Patriti legissem, in quibus Aristotelem passim laceras, & indignissimis contumelijs oneras; non potui fateor pro mea in præceptorem reuerentia, & obseruantia tibi hoc est lemuribus, & bustuarijs imaginibus tuis non grauissime succensere: Propterea cum de edendo libro quodam meo cogitarem, cuius argumentum erat, disquisitio de instituto Aristotelis in libris Metaphysicorum; necessariaq; occasio videretur te tantum nepam nominandi, quia solus inter homines natos, eos libros Aristotelis esse, & sic ab Aristotele iunctos, atq; inscriptos fuisse, & de re una aliqua tractare pessime, & audacissime fuisses inficiatus, non potui secus, quin stomacho aliquo, & honesta indignatione te interdum appellarem; iureq; eodem in te vterer, quo tu in Aristotelem vsus fueras; non doctrinam modo, sed mores quoque illius acerrime reprehendens; non paginas omnes coaceruare mens est, maledictorum in Aristotelem frequentia cœnosas, sed aliquas, vt tantum ostendam, me non contra ius, & fas fecisse, neq; improbum hominem fuisse, quia in doctrinæ tuæ vitia inuectus fuerim; tu vere improbus, qui in ijs quoq; scriptorum tuorum procacitate me es insectatus, quæ ad doctrinæ mores non

pertinent: ac ne mentiri videar, ipſiſſima verba tua in Ariſtotelem huc tranſcripta recitabo. In initio primi libri tertij tomi diſcuſſionũ tuarum ita de Ariſtotele ſcribis: Concordiam Ariſtotelis cum veteribus philoſophis in omni philoſophiæ parte antecedentis tomi libris octo proſequuti ſumus, vti nobis perſuademus non negligentiſſime; præſenti uero libris ſeptem alijs diſcordiam eiuſdem cum ijſdem eodem certe labore, vtinam eodem etiam effectu proſequi in animo eſt; quam enim diſcordiam oſtenſurum me ſperem inter virum hunc, ac præceptorem Platonem? quos Porphyrius ſeptem libris, quos Simplicius, Boethius, Picus, Vimercatus uiri magni concordes eſſe omnino, & aſseuerarunt, & etiam perſcripſerunt; aut in mente perſcribere habuerunt? quorum nullius tamen ſcripta ad poſteros peruenerunt; quibus ſi fortuna pepercisſet, vitaque ea donaſset; aut eos concordes eſſe conſtaret apertè, aut labore hoc, aut errore me liberaſsent: ſum enim in hac ſententia hoſce viros vel non potuiſſe promiſſis ſtare, vel Ariſtotelem aliud cogitaſſe, aliud ſcripſiſſe; aut me nunquam quicquam ulla in re intellexiſſe; potuiſſe quidem illos, & ſumma ingenij vi, & ſumma doctrina quibus excelluerunt, eandem hanc, quam nos hac ingenij exilitate, & ruditate longe melius, vberius, clarius, ornatius concordiam præſtare; ſed nullam diſcordiam inter eos duos maximos philoſophos, nulla in re Ariſtotelem à Platone diſſentire voluiſſe; id vero eos præſtare non potuiſſe arbitror; quibus enim argumentis, aut collationibus id effici poſſe credam, ſi uideam Ariſtotelem non tam dogmata ſua explicare, quàm philoſophorum omnium veterum dogmata profligare in propoſito habuiſſe? qui eos, à quibus dogmatum ſuorum omnium latices hauſiſſet, acerrimo quodam odio proſecutus eſſe videatur? quos pluſquã CCL. locis nominatim carpſit? ſine nomine vero pluſquam mille? antiquiores, ſuiq; temporis philoſophos, atque alios authores nobiles reprehendit pluſquam 46. præter eos, quos Rhetoricis, & Poeticis libris refellit Thaleta, Anaximandrum, Anaximenem, Anaxagoram, Hermotinum, Diogenem, Xenophanem, Parmenidem, Zenonem, Meliſſum, Empedoclem, Heraclitum, Leucippum, Democritum, Protagoram, Gorgiam, Leophanem, Antiphontem, Xuthum, Patronem, Lycophronem, Alemæonẽ, Hippaſum, Hipponem Critiam, Syenetim, Polybum, Hyppocratem Chiũ, Eudoxum, Ariſtippum, Epicharmum, Cratylum, Eurytum, Speuſippum, Homerum, Heſiodum, Euripidem, Sophoclem, Iſocratem, Herodotum, Herodorum, Cteſiam, Pythagoram, integraſq; ſectas, Pythagoreos, Antiſthepios, Megaricos, Socratem, & pluſquam alium quemquam Platonẽ præceptorem, quem LX. & forte amplius locis nominatim eſt inſectatus; ſic enim placuit homini iſti, omnium vti AElianus tradit irriſori immerito vexare venerabilem illum ſenem, cuius doctrinæ uberrimis lactibus impinguatus fuerat, e ſchola eijcere, & procacibus ſcriptis in omnem æternitatem damnare: primi apud Græcos Xenophontes, ac Parmenides aliorum opiniones refutare ſunt aggreſſi, Plato Sophiſtas omnes, philoſophum neminem præter duos Anaxagoram, atque Heraclitum arguit; Ari-

„ stoteles (in hoc quoque aduersarius Platoni) philosophos omnes, sophi-
„ stam neminem, præter duos Protagoram, ac Gorgiam non solum arguit,
„ sed iurgijs etiam acerrimis incessit. Hęc tu eo loco: libro quarto eiusdem
„ tertij tomi de eodem Aristotele sic scribis; Sumpsisse Aristotelem vniuersę
„ suæ philosophiæ summa omnia capita à priscis philosophis octo antece-
„ dentis tomi libris, late, luculenterque, vt nobis persuademus, demonstra-
„ tum est. inter quæ à Platone præceptore multa exscripsisse ostendimus; prę-
„ cedentibus duobus huiusce tomi libris quàm falsò à quibus dogmata non
„ pauca sumpserat inuectus sit, palam factum est; nunc maius nobis opus,
„ maior moles pro Platone superest, ac maior nobis pro eo labor exantlan-
„ dus est: quem venerabilē virum discipulus iste multo sæpius, acrius, acer-
„ bius quàm antiquorum quemquam vexauit, exagitauit, sycophantamque
„ in eum egit: tantum potuit in eo Xenocratis ab illo sibi in schola Prælati
„ indignatio; vt non vereretur ea in doctorem suum scriptis mandare, quæ
„ statim lecta, & cum illius scriptis collata manifestæ falsitatis eum coargue-
„ re possent; quod ne se viuo fieret, vitans libros ferè omnes suppressos te-
„ nuit, quia viuerent multi sancti illius senis & auditores, & amatores, qui
„ possent sycophantias illas & detegere, & etiam conuincere. In fine libri
„ septimi eiusdem tomi. Itaq; duo, inquis, maxime miror, alterum est Ari-
„ stotelem tam grauem philosophum, qui veritatem potiorem amicis, po-
„ tiorem sui ipsius scriptis habere profiteatur, falsas manifesto, ac futiles re-
„ prehensiones ubique in Platonem inuexisse, cuius si interissent libri, vti
„ cæterorum veterum, quos carpsit, Aristotelis indubia veritas haberetur;
„ alterum quòd inter tot millia philosophorum Platonicorum, Aristotelico-
„ rumque, nemo sit inuentus qui harum obiectionum veritatem de Aristo-
„ tele exquireret; nobisq; post mille, ac octingentos annos vti primi in hac
arena essemus locum reliquerunt. Mitto locos alios plurimos, in quibus Aristotelem aut immemorem, aut malitiosum, aut inanis gloriæ cupidissimum, aut calumniatorem vocas. mitto etiam inanem illam tuam diligentiam authoritates vndecunque illorum accumulandi, qui Aristotelem aut ebriosum, aut adulatorem, aut auarum, aut loquacem, aut fastuosum, aut ingratum, aut etiam si dijs placet pediconem scripserunt fuisse; quasi hæc intelligere magnopere profuturum esset Zaccariæ illi tuo ad Aristotelis doctrinam bene, & scite capessendam; nullis ego te similibus titulis appellaui, non sycophantam, non futilem, non contumeliosum, non fallacem, non derisorem nominaui, sicut tu passim Aristotelem; sed moderatior in te, quàm tu in illum fui. quoniam sic didici, sic à maioribus hausi modestiam philosophum decere, sine qua nequicquam omnes pro re literaria suscepti labores.

Exercitatio II.

D illud, quod scribis tibi amicos tuos de me rescripsisse hominem me esse audacem, impudentem, effrontem, contentiosum, qui me omnia scire putem, omnibus contradicam, sophistam, & cristicum; quid respondeam aliud, nisi & te, & illos improbos esse? illos, ꝙ falsa scripserint, & parum modesti fuerint, ne quid peius in illos dicam, quod vel inde constat; quia cum paucissimos menses, & fortasse etiam dies mea consuetudine vsi fuerint; illa de me per literas arroganter tibi renunciauerunt; quæ honesti, & intelligentes uiri uix temporis longinquitatem se de aliquo sperarent scire potuisse; de mei similibus maxime, qui non in foro, & triuijs sæpe uersor, sed unius, aut alterius contentus amicitia in priuatis colloquijs, & solitarijs de ambulatiunculis oblectamenta post meorum studiorum labores quæro; ipse quàm ego sim audax, impudens, & cristicus vide; qui me semel in amicitiam receperunt, nunquam deinde exclusêrunt. Eos vicissim non memini loco ullo me.dese ruisse; nulli mihi de literis sermones vel Latinè, vel Italicè, nisi multis precibus ante fatigato; ioci, sales, fabellæ, dicteria, honesti amores mihi sunt cum familiaribus meis delitiæ, & in opere literario interspirationes his strigare in actu spiritum soleo: in me si quid est audaciæ, non eam clamoribus meretricijs, non scholasticis contentionibus, non Patritianis iurgijs vnquam ostendi, sed factis & lacertis ipsis, qui quantum ualeant, tunc amici tui intelligent, cum qui homines sint, potuero resciuisse, aliquos scio mei gladij cuspidem, & pyrio puluere missos globulos sensisse; id si est audacem esse fateor me esse audacem: sed heus uos, modestius posthac si sapitis. Te vt etiam amicos tuos improbum & nequam hominem esse ex sententia illa trita conijcio, talem esse quemque, quales ij sunt, quibuscum versatur: aliquos sic intimos habui, ut sanguinem ipsum pro me fundere, uitamque amittere pertinacissime uoluerint, à quibus tamen male in alios dicta difficilius, quàm ab Hercule clauam extorsisses. addunt amici illi tui, me Parisijs studuisse, scholasticæ Theologiæ esse innutritum, è Gallijs Venetias venisse. Tu verò Patriti ubi locorum studuisti? qui in cubiculo philosophiam gloriaris didicisse? Cur non etiam Mathematicis, cur non bonis literis, cur non etiam philosophiæ innutritum scripserunt? cur clarissimos Præceptores Dionysium Lambinum, Iacobum Carpentarium, Gilbertum Genebrardum, Ioannem Auratum, Leodegarium à Quercu, Ioannem Maldonatum societatis Iesu splendidissimum Iubar omiserunt? Quod tertio loco addiderunt, apertè falsum est, non enim è Gallijs, sed ex agro Picœno, quod mihi solum patrium est, Venetias veni; domesticis curis, ijsque grauissimis confectus, in qua calamitatem Antonij Theupoli viri clarissimi humanitas me cum primis fouit, cum quo non magister domus, sed studiorum comes. Brixiam profectus sum; illique Nicomachia,

& Physiologica Ioannis Fernellij, Pathologicaque prælecta à me fuerunt; neque inde cum illius offensione reuersus sum; quod declarant illustrissimæ familiæ ab eo relictæ humanissima in me ab eo tempore & paratissima studia; quibus ne vita quidem ipsa satis unquam fecero; sed pugna cum strenuo, & forti milite suscepta, qui nunc Serenissimæ Venetiarum Reip. copiarum aliquot dux est, & ex ea peruicacia & obstinatio discessionem meam ante tempus maturarunt.

Exercitatio III.

SVBNECTVNT amici illi tui, digna sanè te opercula, me curasse postea, ut Taurisum vocarer grammatices, puerullorũque magister; huc profectum non pati pędagogum me nominari, philosophum interim acriter profiteri; essem pædagogus Patriti, si ut tu pueros ductassem, eduxissemque, & reduxissem; sed ab hoc munere longe semper absfui, & absum; cur igitur pædagogum me iniustissime criminaris? Multi ultro receperunt se mihi de te, & fortunis tuis mira & noua narraturos, ad quorum voces nunquam aures aduerti, ne tui in re mala essem imitator; de aduersarij fragilitatibus orationem subtexens, cum non uita, sed doctrina cernenda est, atque in discrimen, & di micationem adducenda.

Mihi sic vsus est, tibi ut opus est facto face.

Bene tibi in omnibus cupio, opibus, famulitio, existimatione ut auctior & ornatior fias etiam atque etiam opto, cuncta fęlicia præcor: de me & moribus meis minutatim exquiras permitto, quos palã quoque corrigendi potestatem tribuo, si qui minus honesti, & minus laudabiles videbuntur; falsa pro veris, incerta pro certis contra me & dignitatem meam scriptis proferendi ueniam non do. Non do Patriti, intellextin?men daciſſime scripserunt amici illi tui puerullorum me magistrum esse; non puerullos, seu (vt recto modo scribere doceam uos eloquentiæ dictatores) puerulos, sed primariæ nobilitatis adolescentes, & maturos iuuenes Rhetoricam, poeticem, geographiam, Historiam, dialecticem, sydeιalem scientiam, & meliores literas doceo; & ab ijs non leuem & exiguam mercedulam, non infame stipendiolum exigo, vt ipse scribis, sed magis amplum fortasse eo honorarium, quod tu veræ philosophiæ uindex, & alexicacos matutinum aue isthic diuitibus portando acquiris; piget quidem multiplicis laboris sæpe, & temporis pœnitet in studia non quietius collocati; at ueteri me solor poetæ dicto; ut quimus, quando vt volumus non licet: præsertim sciens magno semper in honore grammaticos habitos fuisse; virosque honestissimos uel ipso iuuentutem docendi munere perfunctos fuisse, vt olim Cratetem Malleotem, Seruium, Nicanorem, Aurelium, Opilium, Antonium, Gniphonem, Valerium Flaccum, Ioannem Grammaticum cognomento Philoponum, Lactantium Firmianum,

rum, Didimum Alexandrinum, Zenocritum Coum; & non ita pridem Coelium Rhodiginum, Pierium Valerianum, Paulum Manutium, Baptistam Egnatium, Angelum Politianum, Philippum Beroaldum, Calderinum, Romulum Amutæum, M. Antonium Flaminium, Maioragium, Victorium, Adrianum Turnebum, & plerosque alios, quos nimis longum esset sigillatim recensere: uel scripto de grammaticis rebus etiam minimis disseruisse: vt Iulium Cæsarem militiæ Phęnicem, P. Nigidium, M. Varronem, M. Messalam, C. Plinium, & multos præterea alios ex ipsa nobilitate Romana clarissimos uiros. Magnas etiam, & amplissimas prærogatiuas huius artis professores a uiris Principibus retulisse compertum habens; nam Iulius Cæsar cum iam in Rep. Rom. princeps unicus, atque dictator esset, grammaticos omnes, qui eo tempore Romæ profitebantur ciuitate donauit; Seuerus & Antoninus omnes, qui hanc artem docerent à publicis muneribus immunes, ac liberos esse voluerunt; quod Antoninus quoque Pius edicto sanxit. Constantinus iussit arbitrio iudicis puniri eos à quibus grammaticę professionis homines modo aliquo uexati fuissent. M. Antoninus cognomēto philosophus Frontonem Pręceptorem suū Consulem creauit; eandem Consulatus dignitatem Gratianus Ausonio Burdegalensi magistro suo tradidit: quid alios commemorem grammatici ordinis præstantissimos uiros, quos vel nostra, uel ab ea non admodum remota ætate in purpuratorum numerum adscitos, & ad Pontificatus maxime supremam dignitatem euectos nouimus? quòd si grammaticorum ars obscurior nunc facta uidetur; non id professionis abiectione, sed professorum culpa & indignitate contingit, quorum maxima pars trihorio facti grammatici, oratorum, & poetarum sacraria inepte tractant. id constat ex Cicerone, qui in primo libro de Oratore grāmaticæ artis poene infinitam uim, & materiam esse scribit, atque ex Quintiliano, qui libro primo, cap. 5. de Grammatica ita scribit. „ Hæc igitur professio cum breuissime in duas partes diuidatur recte loquendi scientiam, & poetarum „ enarrationem, plus habet in recessu, quàm fronte promittit; nam & scribendi ratio coniuncta cum loquendo est, & enarrationem præcedit emendata lectio. & mistum his omnibus iudicium est; quo quidem ita sunt seuere uti ueteres grammatici; ut non uersus modo censoria aliqua uirgula notare & libros, qui falso viderentur inscripti, tamquam subdititios summouere familia promiserint sibi; sed aut hores alios in ordinem redegerint, alios omnino exemerint numero; nec poetas legisse satis est, excutiendum omne scriptorum genus, non propter historias modo, sed uerba, quæ frequenter ius ab authoribus sumunt; tum nec citra musicem grammatice potest esse perfecta, cum ei de metris, rhitmisque dicendum sit, nec si rationem syderum ignoret, poetas intelligat, qui ut alia omittam, tot eo ortu, occasuque signorum in declarandis temporibus utantur; nec ignara philosophiæ, cum propter plurimos in omnibus ferè carminibus locos ex intima quæstionum naturalium subtilitate repetitos tum uel propter Empedoclem in Græcis, Varronem, ac Lucretium in Latinis, qui præcepta

" cepta sapientiæ uersibus tradiderunt, eloquentia quoque non mediocri " est opus, vt de una quaque earum quas demonstrauimus rerum dicat pro- " prie, & copiose; quo minus sunt ferendi, qui hanc artem ut tenuem, ac " ieiunam cauillantur; quæ nisi oratori futuro fundamenta fideliter iecerit, " quidquid superstruxeris corruet: necessaria pueris, iucunda senibus, dulcis, " secretorum comes; & quæ uel sola omni studiorum genere plus habeat " operis, quàm ostentationis.

Exercitatio IIII.

PRAETER grammaticæ professionem duo alia tamquam maxima crimina mihi obijcis, quòd pauper sim leui stipendiolo uictitans, ad foculum, ac semimortuum igniculum in hyeme sedens cum ancillula, & quòd non sim Senator aliquis Peripateticus, sed capite tantum census. Ad illud: ego Patriti pauper esse haud nego, neque me paupertatis pudet, quam animi ęquanimitatem ab Aristotele meo didici qui sect. 29. probl. q. 4. cum quæsisset cur paupertas apud homines bonos potius esse, quàm apud prauos soleat, sic subdit; An " quia paupertas omnibus odio habetur, atque expellitur, ad probos au- " tem perfugit rata maxime apud eos salutem promanendique locum se pos- " se assequi, e contrario si ad prauos uenerit, nunquam eos fortuna ista " fore contentos, sed vel furta, uel latrocinia adituros; quibus rebus futu- " rum, ut ipsa amplius apud illos manere nequeat; an quia homines probos " optime se usuros existimat, nec sibi petulanter contumelioseque quip- " piam facturos. & paulo post; an quia mala est nunquam se malis iungere " velit; nam si ita maluerit, omnino malum irremediabile ipsa reddetur. " idem quæst. 8. eiusdem sectionis, desertis uerbis scribit diuitias magna ex " parte ab hominibus prauis potius quàm bonis haberi, Philosophosque, " insignes in maxima uixisse paupertate notius est quam à me scribi oporteat: Diogen. Laert. in libr. 7. de Vitis Philosophorum si de Cleanthe. Cleanthes Bhanij filius, Assius, vt Antisthenes ait in successionibus, primum quidem pugil fuit, profectus autem Athenas drachmis 4. instructus (vt quidam aiunt) congressusque Zenoni studiosissime Philosophatus est; " inque eiusdem decretis perstitit: memoriæ proditum est ipsum laboriosis- " simum fuisse, adeò ut inopia cogente mercenarium faceret; ac noctu qui- " dem in hortis hauriret aquas, interdiu autem operam studijs liberalibus " daret, vnde & φρεάντλης, hoc est exhauriens puteos appellaretur; aiunt il- " lum, cum pertractus esset ad iudicium redditurus rationem, quòd adeò " robustus, ac tàm boni habitus viueret hortulano, apud quem id mune- " ris implebat, ac muliere apud quam farinas pinsebat testibus absolutum " esse; Aregopagitasque admiratos decem illi minas dari censuisse neque ve- " ro in iudicio modo, sed ubique etiam hic præstantissimus philosophus

pauper

paupertatem suam fassus est; nam quum illum aliquando Rex Antigonus Athenis inspexisset, atque ita interrogare cœpisset molis adhuc Cleanthes?sic Regi respondidit,molo Rex idq; uitę sustētādæ gratia facio, de quo uiro eximio ita subnectit Plutarchus; erat sola uiri cura ne à philosophia desistere cogeretur, ideò manibus, quas pistrino ac molæ locaue rat de astris, Sole, Luna, ac deis scribebat: quid Thaletem, quid Zenonem diuitiarum contemptores narrem? Quid Democritum illum tuum, qui agros suos dereliquit, eosque publica pascua fieri est passus? Quid illum alium, qui patrimonium in nummos redactum effudit in mare? Subdens,abite in profundum malæ cupiditates, ego uos mergam, ne ipse mergar à vobis. Sed scio qui te mali genij & paredri spiritus agant; non ego, vt tu opum acquirendarum rationem didici; sic.n. scribis in initio primi tomi. Biennium iam cum dimidio Zaccaria Mocenice nobilissime est exactum, ex quo cum Philippo patruo tuo, Cypriorum Archiepiscopo, uiro omni doctrinarum, virtutumque genere ornatissimo è Cypro Venetias sum reuersus; ibi optimam ætatis meæ partem Philosophiæque studijs aptissimam alienis commodis insudando, meis abutendo plus quàm integrum septēnium misere contriueram; eò me malus quidam abstulerat error;is idem assidue me fatigauerat,ut opibus alienis fabrefaciendis incumberem,res meas omnes pręter mitterem, Philosophiæ studia, quæ meę delitiæ fuerant, penitus omitterem, non semel vitæ periculum subirem. ideo me & paupertatem meam capitali odio prosequeris. Hoccine autem Patriti est libere Philosophari? quibus uijs alienas tu opes fabrefecisti? agricultoria ne,an nummularia? si nummularia, num etiam fœnerator,& tocullio aliquis fuisti? at Plutarchum audi contra fœneratores; Quum manus habeas,pedes habeas,uocè habeas,homo existas,cui peculiare. est amare,ac amari,gratificari,ac gratiam recipere,literas doce,pueros instrue,ianitoris, officio fungere, nauiga, renauiga, nihil horum adeo turpe, nihil vetam molestum,quàm audire,redde mihi sanè alterius criminis cuiusuis, potius quam istius, etiam inimicissimi homines obiecerint, quia Philpsophiam amo, animi securitatem quæro, qua sola,ut idem Plutarchus inquit,à diuitijs differre paupertas uidetur, vetusque illud adagium usurpo Capram gestare non valeo, Bouem non super imponam. ad alteram à te mihi obiectam reprehensionis notam; quam diluere facilius fuerit, iuuenis sum, vt ad te amici tui rescripserunt; quid ergo mirum, si Senator in Peripato nondum sim? non sim etiam unquam futurus; num propterea indignus dinacha te tanto, & tam formidoloso hoste, rudeque donato ego nunc solum encrinomenus debeo iudicari? Quot Plutarchus refert & pace & bello Patriæ vtilissimos fuisse, & in illius commodis procurandis uitam insumpsisse, nullis tamen, aut paucissimis magistratibus perfunctos? barba, promissa cæsariæ, atque etiam si dijs placet sericeis vestimentis Philosophorum dignitatem propediem æstimabis: tę subidum, atque insubidum hominem; quid si seruus, & vile mancipium essem; num Philosophus ob id esse desinerem? num diuini Pla-

tonis

tonis sapientia dormitasset, aut extincta prorsus fuisset; si à compedibus & seruitute amici illum non redemissent? Ego verò ita sentio Patriti, quemadmodum duplex est mancipiorum genus secundum Zenophontem & Aristotelem, natura, & conditione; ita duplex esse & in Philosophia & in facultate alia quauis senatorum genus; cuius tu & ego generis simus; aliorum potius est, quàm nostrum iudicare; tuæ sententiæ si sit standum, tu magnum Iouis incrementum, ego tantum in ætijs Calimachi uersatus; tu curru Olympum quatis, ego uix dignus sacris Hecates; tua ex Iouis diphtera petita omnia; mea nebulæ, nugę, somnia, deliria: at ò bone committe animos, in certamen ueni, non ego tua ista de te perterritus opinione occipitium ostendam; illud me male habet, quòd non pauci magnæ eruditionis viri Patritiana monimenta tot studiorum (ut ipse de te gloriaris) laboribus confecta litoralibus calculis, & algis uiliora esse arbitrantur; mihique hoc consilij dant, ut Salmacida spolia de te molli, & male forti uiro parta negligam; Tingo nunc te, etiamque atque etiam irrito, tu quàm bene vetulus canis irrire aut rudere, aut gingrire in Aristotelem scias, tempus est; ut videre incipiamus.

EXERCITATIONVM
THEODORI ANGELVTII CVM FRANCISCO PATRITIO.

Sectio Secunda, Exercitatio Prima.



VM ego scripsissem Aristotelis doctrina artibus, ac scientijs propè omnibus veram & germanam faciem aut primum tributam, aut restitutam fuisse, tu vel odio in Aristotelem, vel furore in me contra affirmare ausus es his verbis: artem factiuam vllam omnino nec primo produxit, nec postea restituit Aristotelis doctrina. artes eæ, quas vulgus liberales vocant, Grammatice, Rhetorice, Logice, Poetice, Rithmice, Musica, Medicina multis ætatibus Aristotelem antecesserunt: Astrologia apud Chaldæos, Arithmetice apud Phœnices, Geometria apud Aegyptios & inuentæ & maximopere sunt excultæ, antequam Aristotelem Græcia viderit; neque vllam scientiarum Aristoteles vel inuenit, vel perfecit, quamuis Auerrois impudentissime de tribus mentiatur Theologia, Physiologia, Logica.

in quibus hoc vere possum dicere quid esset vera, & germana facies te minime intellexisse, aut intelligere voluisse; ordo, & methodus, claritas item & perspicuitas vera & germana facies sunt artium & scientiarum quòd sicut decora & decenti oris specie animi motus tamquam vitrea quadam imagine indicantur, ita ordinis ductu cum ratione facto scientiarum obscura arcana cum primis elucescunt; imperite igitur Patriti sic orationem meam es interpretatus, quasi Aristotelem solum, & ante eum neminem artes & scientias tenuisse scripserim: ordinem dico Aristotelis proprium inuentum fuisse; quoniam neque Plato, neque alius quisquam didascalico more de re vlla ante Aristotelem scripsit: hoc modo si negas artibus & scientijs propè omnibus ueram & germanam faciem aut primum tribuisse, aut restituisse Aristotelem; insanus es, amens es, addo etiam iniustus; id non alius, sed tuo ipsius testimonio tibi probabo; sic enim scribis in libro sexto primi tomi tuarum discussionum; mos disciplinarum occultandarum an-
„ tiquissimus fuit à Noe inde in vniuersas gentes emanatus; quem Græci om-
„ nium primi gloriam inde quærentes, videntur corrupisse, non ita statim
„ à principio, sed paulatim; Nam Orpheus doctrinas suas tradidit fabulis
„ obuolutas; Pythagoras numeris, quas primus omnium profanauit Hip-
„ parchus eius discipulus, quem ea de causa è scola, atque consortio eiecit;
„ in eiusq; locum lapideam columnam in gymnasio erexit: Plato partim Or-
„ phicum, partim Pythagoricum morem secutus, & fabulis & numeris se-
„ cretiores doctrinas tractauit; morales disciplinas ad iuuentutem erudien-
„ dam apertius docuit: Aristoteles omnes omnibus velaminibus demptis
aperte tradidit. quæ ueritas non à te primum pronunciata fuit, sed multis ante sæculis prædicata & celebrata. Alexander Aphrodisieus, vt refert Auerroes comm. 18. in duodecimum Metaphys. scripsit doctrinam Aristotelis esse longe minoris ambiguitatis, & magis remotam ab errore & repugnantia quam aliorum philosophorum. Simplic. præfatione in libros
„ phys. genus inquit philosophandi Aristotelis differt à veteris, quatenus
„ obscuritates & scriptos illorum transtulit in perspicuam & propriam ex-
„ positionem; & vim præterea probationibus, & syllogismis adiecit; à Plato-
„ ne autem videtur dissensisse, quòd demonstrationes apertius, illustriusque
„ inducit, & quòd earum principia à sensu, & ab euidentibus rationibus su-
„ mit; ab omnibus preterea simul in eo dissidet, quòd partes omnes philoso-
„ phiæ naturalis vsque ad singularia euolutas ac resolutas reliquit; idem alio
loco scribit Aristotelicam elocutionem sæpe paucis syllabis plura tradere, quam alius multis periodis queat tradere. Galenus (quod & ipse annota-
„ sti) omnia inquit quæ Aristoteles aut docuit, aut scripsit non sine rationali
„ disciplina uel docuit, vel scripsit. fuitque orationis parens, & circa naturæ
artem enarrandam peritissimus. Scaliger in librum de Plantis Aristoteles
„ (ait) scientiarum orbem vniuersum vel solus, vel cum paucis intellectione
„ complexus est, eaque omnia in animo habuit, tamquam altera natura, suo
„ quæq; ordine digerere; & ipsam naturam certa librorum serie dispositam
„ ordinare; num præter ordinem artibus & scientijs adhibitum, alia quoq;

Ar.

Ar.inuenerit, in tertia exercit. examinabitur: hoc unum modo; non euoluisse Patritium Aristotelis de mechanicis quęstionibus libellū, aut si euoluit, non intellexisse, nihil enim eo opere mirius, aut ad mæchanicorum operum substructionem vtilius, & conducibilibus; cum tamen Patritius audacissime scribat nullius præcepta factiuæ artes tota Aristotelis doctrina tradi.

Exercitatio II.

DION Cassius Nicæus apud Xiphilinum refert Antoninum Caracallum Romanorum Imperatorem eò dementię uenisse, ut ad Senatum aliquando scripserit, se Alexandri Magni animam corpore gestare, vt quoniam hęc in illo breue tempus degerat, in Augusto viueret diutius: ac philosophos, qui sunt Aristotelici cognominati tàm magno odio esse prosecutum, vt voluerit libros Aristotelis comburere, atq; Aristotelicis sodalitates, & cętera commoda, quę habebant in Alexandria, sustulerit, criminatum eos, quòd Aristoteles causa mortis Alexandri visus esset. In Patritij corpus non Alexandri Magni, sed Bucephali animam crederet Pythagoricus aliquis introijsse, quando Aristoteli, & Aristotelicis, vt Caracallus infensissimus videri vult; quamquā ne Bucephalo quidem doctus Pythagoreus illum dignaretur; sed equo aliquo sagmario, dorsuarioq; & clitellario iumento. Scribit igitur magnus „ hic Aristotelis refragator; perfecte omnes omnium temporum, & gentium „ homines ignorare, artibus & scientijs omnibus germanam faciem ab Ari- „ stotele aut primum tributam aut restitutam esse. quo mendacio aperte & ipse sibi, & toti præterea vetustati contrauicit; sic enim Patritius initio li- „ bri secundi primi tomi de Aristotele. omnis antiquitas maximis Aristotelē „ laudibus semper ornauit, omnis auorum, atq; attauorum nostrorum ætas „ est admirata; omnis etiam nostra ingentibus eum encomijs prosequitur admiratur. quam veritatem tibi inuitè puto excidisse: à vetustatis autem testimonio, vt semel Aristotelis laudes exordiamur. Plato gymnasij sui mentem Aristotelem appellabat, Cicero eundem vocauit virum vno excepto Platone diuino ingenio, excellentem subtilitate, & copia; atque omnibus alijs pręstantem & scientia & diligentia; & quem ipse maxime omnium admiratur. Multa Gellius quoque in Aristotelis laudem lib.9.ca.3.& Plinius cùm lib.8.cap.16. tum alijs quoq; in quibus Aristotelem aut immensæ subtilitatis virum nominat, aut nihil vsquam genitum scribit ignorauisse: Auerroes in prohœmio suo physico; nullus (inquit) in Aristotele error in- „ uentus est usque ad hoc tempus, quod est mille & quingentorum annorū, „ & talem esse in vno indiuiduo potius est miraculosum quàm humanum. idem in 3.de anim. comm.14. Aristoteles fuit regula & exemplar quod na- „ tura inuenit ad demonstrandam vltimam perfectionem humanam in ma- „ terijs, in primo de gener.anim. Laudemus (ait) Deum, qui separauit hunc

„ virum ab alijs in perfectione; & appropriauit ei ultimam perfectionem
„ humanam; quam nullus homo potest in ulla ætate attingere. In lib. de-
„ struction. disput. 3. in solut. dub. 13. ita scribit; Aristotelis doctrina est
summa veritas, quoniam eius intellectus finis fuit humani intellectus;
„ quare bene dicitur de illo, quòd ipse fuit creatus, & datus nobis diuina
„ prouidentia, ut non ignoremus possibilia sciri: at Patritius inquiet non es-
„ se standum Auerroi in Aristotelis laudatione, quippe quem constet impen-
se nimis, immodiceque amore quodam uelut furenti ductum Aristoteli fauisse: num non etiam Chrysippo stabis Peripateticæ doctrinę non minus te audacissimo inimico, & reprehensore? Is, vt Plutarchus refert in libro de Stoicis contrarietatibus, tales, ac tantos Philosophos Platonem & Aristotelem scripsit fuisse; ut cum ijs delinquere quis uelle debeat; Num Ammonium recusabis æque, ut tu Platonis, & Platonicorum suffragatorem; qui tantum Aristoteli tribuit, ut ingenio, singulariq; doctrina humanos terminos excessisse, & monstrum quoddam cum inter homines fuisse, monimentis prodiderit: cæteri uerò Platonici pæne omnes Aristotelis doctrinam adeo dilexerunt, amplexatiq; fuerunt, ut cum Platonis lectione coniungere eam semper uoluerint, quòd ex Plotino, Tauro Attico, Porphyrio, Dixippo, Syriano, Proclo, & alijs patet, non sum tamen nescius non eadem semper famæ crebritate, & celebritate Aristotelis doctrinam, sicut neque etiam Platonis in gymnasiorium coronis floruisse; id duplici ex causa natum est, ex obscuritate Aristotelicæ elocutionis, quæ quia uere didascalica est fabellarum pigmentis carens & paucis multa comprehendens plerosq; ut Franciscum Patritium delicatulos ab eius lectione deterruit; & ex inopia librorum, in quibus Peripatetici philosophari possent prima causa a Cicerone, Ammonio, Themistio, & Simplicio prædicata est. secunda à Strabone; quorum authoritates sigillatim recensebo, & primum Ciceronis, qui inquit à libris Aristotelis te obscuritas reiecit, Rhetor
„ autem ille magnus (vt opinor) Aristotelica se ignorare respondidit, quòd
„ quidem minime sum admiratus eum Philosophum Rhetori non esse co-
„ gnitum, qui ab ipsis philosophis præter admodum paucos ignoretur,
„ quibus eo minus ignoscendum est, quòd non modo rebus his, quæ ab il-
„ lo dictæ, & inuentæ sunt, allici debuerunt, sed dicendi quoque incredibili
„ quadam tum copia, tum etiam suauitate. Ammonius obscurus (inquit)
„ Aristoteles est in suis libris data opera, ut acuat discentium mentes, pro-
„ fanosque arceat. Themistius uerò Aristotelis omnia scripta quasi de com-
„ posito caligine quadam offensa, appletaque habentur, tum ob elocutio-
„ nis genus, tum etiam quia capita nullo ordine uidentur disposita. Sim-
„ plicius ita Aristotelica eloquutio sæpe paucis syllabis plura tradit, quàm
„ alius multis periodis queat tradere. Strabonis uerba in lib. 13. Geogra-
„ phiæ hæc sunt è scepti fuere Philosophi Socratici Erastus & Coriscus, &
„ Neleus Corisci filius, qui Aristotelem, & Theophrastum audiuit, & suc-
„ cessor fuit Bibliothecæ Theophrasti, in qua Aristotelica inerat; nam Ari-
„ stoteles & Bibliothecam, & scholam reliquit Theophrasto, & primus om-
nium,

» nium, quos ſcimus libros congregauit: & Aegypti Reges Bibliothecæ ordinem docuit: Theophraſtus verò eam, tradidit Neleo, Neleus eam ſceptim detulit, ac poſteris dedit; hominibus ſanè imperitis, qui libros incluſos ac negligenter poſitos tenebant; cumq; Attalicorum Regum, ſub quibus erant ſtudium, ſentirent conquirendorum librorum: ad inſtruendam eam Bibliothecam, quæ Pergami erat; eos in foſſa quadam ſub terra occuluerunt, quos & tineis, & humiditate labefactos, tandem ſerò qui ex eo genere erant Apilliconti Teio magno emptos argento tradiderunt. Ariſtotelicos ſtatq; Theophraſticos; Apellicon, ut qui magis librorum eſſet ſtudioſus, quàm ſapientiæ, volens corroſiones emendare, eos tranſcribendos dedit ſcriptura non rectè ſuppleta; qua propter libros edidit erroribus plenos: ſed antiqui Peripatetici poſt Theophraſtum, cum omnino libris carerent, paucis duntaxat, præſertim exotericis exceptis, nihil habebant in quo firmiter philoſopharentur; ſed poſitiones quaſdam lucubrabant; Poſteriores poſtquam hi libri in lucem uenere, Ariſtotelem imitantes, melius quàm illi Philoſophati, ac Ariſtotelem ſecuti ſunt. Subdit impudentiſſimus Patritius Alexandrum Magnum adamaſſe quidem Ariſtotelem, dum puer eſſet; & mirum in modum admiratum fuiſſe, ſed cognitis eius poſtea technis, ac inſidijs magnifacere deſijſse, pro animi tamen magnitudine ac probitate nullo affeciſſe nocumento. quem Regem contra Ariſtoteles per ſummã iniuſtitiam & crudelitatem ueneno ſuſtulerit: cur non potius furorem, impotentiam, ebrietatem, veritatis odium à Caliſthene prædicatæ Alexandri ab Ariſtotele abalienationis cauſam credidiſti? cui tamen uni Alexandro plurimos Terrarum Reges, & viros principes oppono, qui Ariſtotelis libros publice in ſcholis declarari edictis iuſſerunt: quod certum eſt nulli alij Philoſophorum contigiſſe. Te ne cum Arriano tuo, & Plinij ex vulgo petito teſtimonio cum Plutarcho de hiſtoriæ ueritate contendere audere, à quo literis mandatum eſt nulla in Alexandri defuncti corpore ueneni indicia apparuiſſe? Egregie Terentius, Homine imperito nihil eſſe iniuſtius, qui niſi quod ipſe, nihil rectum putat.

Exercitatio III.

NEGAS Ariſtotelem doctiſſimum omnium fuiſſe, eique Zoroaſtrum, Hermetem, Democritum, Pythagoram, Theophraſtum in doctrina præfers: quod iudicium tuum peſſimum eſſe ita oſtendimus. Zoroaſter nequam homo fuit, quia Magiam docuit, de qua & uicies centũ millia verſuum conſcripſit ex Medicina, Aſtrologia diuinatoria, & religione conflata, ſicut Plinius refert; eandemque in Theurgiam, & Goetiam, ſiue Necromantiam ex ſententia Porphyrij, diſtinxit: ſicut a D. Auguſtino ſcribitur lib. x. de ciuit. cap. 9. quibus etiam Pharmaciam addit Philo Iudæus in libro de legibus ſpecialibus inſcripto:

non

non ergo rerũ naturas & proprietates,sed illarũ potius abusiones, hoc est mera deliria,& ineptias docuit:à quibus cõstat homines doctos etiam atq; etiam abhorrere:quę enim præstigiatoris,& venefici hominis rebus hominibus abutentis, illasque in Dei ueri contemptum, & hominum perniciem traducentis sincera esse potest de re ulla opinio? Quo ex fonte Manichæorum improbissimum genus Theologię, & religionis monstra peruersissima nisi ex Zoroastro hauserunt?id si nescit Patritius Plutarchum legat in libello de Iside & Osiride, ampliusque si scire cupit quàm bella essent Zoroastri de Dei natura dogmata Eusebium uerset in libro primo de præpar. Euang. cap.7. ibique inueniet impurissimum hunc Chaldæorum, seu Bactrianorũ impostorem accipitris caput Deo opt. max. tribuisse; hoc ne est scientias omnes adinuenisse, & docuisse? Sed demus hoc etiam tibi bene de Deo, & rebus alijs Zoroastrum sensisse, ut potuit is scientiarum omnium repetor esse cum exacto diluuio uixerit, ex suorumque traditionem Iosepus scripserit duas ante diluuium à Sethinis columnas erectas fuisse, alteram lateritiam,ne igne dissiliret; lapideam alteram,ne aquis corrumperetur: quarum vtrique astronomiam inscripserint? accepisse enim eos ab Adamo geminam totius orbis euersionem futuram, alteram per uim ignis, alteram per uastam aquarum inundationem; & idcirco cauisse, ut utrouis modo Mundus periret; cœlestium saltem motionum doctrina superesset: in Hermetis historia non minus inanis es: neq; enim quæ à Cicerone de Mercurio Thoyt apud Aegyptios uocato in lib.3. de natura Deorum,referuntur;neque illa quę Plato de Aegyptio quodam homine Theut appellato in Philebo commemorat in Mercurium istum uestrum quadrare ullo modo possunt; quod sic demonstrat doctissimus præceptor meus Gilbertus Genebrardus in lib.2.Chronographiæ. Mercurius Trismegistus uixit post Aristotelem anno ante Christum natum 303. ab urb. cond. 434. a Mundi initio 3837. cuius hodie extant dialogi duo Pimander,& Asclepius; mihi enim uidentur (inquit) errare, qui eum propinquum Moysi, eundemque cum Deo Mercurio faciunt; ut Suidas, qui eum antiquiorem Pharaone prodit. nam Aegyptus græcum idiomam uix ante Alexandrum Magnum audiuerat,ut græce multa de uerbo Dei congruentia oraculis diuinis scribere ante Græcorum cum Hebręis congressum potuerit; deinde citatur duntaxat a recentioribus; sed & in chartis è papyro centum & decem milibus sua de rebus diuinis & naturalibus conscripsisse memoratur a Iambrycho; Papyri autem usus ad hanc refertur ætatem: Præterea ipse Pimandri dialogus Sybillarum meminit,quæ multis post Mosem sæculi extiterunt; denique Esculapius is, ad quem iste scribit, Phidiæ, qui Periclis ætate uixit;recordatur hæc Genebrardus, cum quo idem sensit Ioannes Goropius Becanus longe Francisco Patritio in historijs exercitatior: nam in fine libri primi suorum hieroglyphicorum ita scribit: uersatur hactenus in hominum matribus libellus Mercurio Trismegisto inscriptus, in quo quibusdam ueritatis ornamentis primum ostentatis scelestissima tandem idolomania succedit, tam ab auctoris nomine, qui præfer-

tur

tur aliena, quàm uaſtum eſt, & immane inter Deum,& Diabolum; inter
veritatem, & Mendacium, inter Lucem & tenebras interuallum. De Pytha-
goræ doctrina,vt audet iudicium Patritius facere, cum is nulla ſcripta reli-
querit; ſeueriſſimisq; ſilentij legibus philoſophiam apud ſuos tractauerit?
Democriti nihil item extat, niſi de arte Chemica libelli quidam, quibus ni-
hil inanius, & futilius dici, vel cogitari poteſt. Quod ad Theophraſtum
attinet, falſum eſt illum non dico plura ſcripſiſſe, ſed meliori ordine, &
methodo docuiſſe; quod oſtendo Iulij Cæſaris Scaligeri doctiſſimi viri iu-
dicio, qui de ijs libris,quos Theophraſtus de Plantis edidit, ita pronunciat.
„ Nō pauca videmus in antiquorum libris coaceruata, alia repetita,plurima
„ inculcata, nec pauciora præpoſtera; id quod cum in alijs obſeruauimus
„ authoribus quos honoris cauſa non nomino, tum his in libris etiam licet
„ animaduertere; principio non recte videtur à mitibus arboribus auſpica-
„ tus ad ſylueſtres poſtea tranſiſſe; ſunt enim ſylueſtres vtroque modo no-
„ tiores nobis, & natura ſcilicet & facilitate; neque tueri poſſumus hoc di-
„ uini præceptoris exemplo (Ariſtotelis ſcilicet) qui in hiſtorijs corporis hu-
„ mani partes extimas pro formula ſtatuit ad cognitionem partium, quæ in
„ alijs conſiderandæ ſunt,quaſi maxime meas nobis ad ignotiores agnoſcen-
„ dum; non enim ratio par; nam homo ſibi præſens eſt arbores mites nihilo
„ magis vel frequentes, vel præſentes,vel obuiæ, quam ipſæ feræ. Nunc in al-
tero capite cum Patritio confligendum; negat enim neminem Ariſtotele
in rebus vel inueniendis vel iudicandis acriorem extitiſſe; at Patriti non
mea,ſed Ciceronis verba,& de Ariſtotele iudicium negas; eius enim diſerta
& expreſſa eſt huiuſmodi de Ariſtotele in libris oratorijs atteſtans oratio;
„ Sed quis omnium doctior,quis acutior? quis in rebus vel inueniendis, vel
„ iudicandis acrior Ariſtotele fuit? quòd ſi importune interroges quæ Ari-
ſtoteles inuenerit; Ciceronem audi alio loco ita de Ariſtotele loquentem:
„ Cum omnis ratio diligẽs diſſerendi duas habeat partes, vnam inueniendi,
„ alteram iudicandi; vtriuſque princeps, vt mihi quidem videtur Ariſtoteles
fuit; ac quando Diogene Laertio illo tuo valde delectaris; miror in eo te
lib.5. ſub finem vitæ Ariſtotelis hæc non animaduertiſſe Cunctis in rebus
„ ſummo ſtudio, atque induſtria fuit, inuentionisque incredibili copia vi-
„ guit, vt ex his quæ ſupra annotauimus, voluminibus conſtat, quæ ad qua-
„ dringentorum numerum ferè perueniunt. an non maximum inuentum
fuit naturalem, & moralem philoſophiam primum vſque ad minimas par
tes ordine perſpicuo,& enucleato tradidiſſe, doctrinisque & conſideratio-
nibus innumeris auxiſſe? quis ante Ariſtotelem de animalibus, & de hu-
mani corporis ſtructura ſcientiam complexus fuit? quem latere poteſt A-
riſtotelem Rhetoricæ & Poeticæ plurima ornamenta atque adiumẽta ſub-
miniſtrauiſſe? vlla profectò ſi ars eſt, & facultas, quam ab alijs Ariſtotele
antiquioribus aut melius,aut æque tractatam contendere Patritius poſſit;
eam Rhetoricem, & dicendi ſcientiam puto; qua Athenis non pauci ſem-
per præſtiterunt; ob maxima in ea ciuitate oratoribus & eloquentię pro-
feſſoribus honoris propoſita pręmia; eam tamen certum eſt plurima ab

Ariſto-

Aristotele,quamquam pomeridianis solum horis expositam præcepta, & ornamenta accepisse;quod his verbis testatur Cicero in 2.libro Rhetorico-
,, rum. Ac veteres quidem scriptores artis vsque à Principe illo,atque inuen
,, tore Tisia repetitos, vnum in locum conduxit Aristoteles, & nominatim
,, cuiusque præcepta magna conquisita cura perspicue scripsit; atque enoda-
,, ta diligenter exposuit; ac tantum inuentoribus ipsis suauitate, & breuita-
,, te dicendi præstitit, vt nemo illorum præcepta ex ipsorũ libris cognoscat,
,, sed omnes, qui quod illi præcipiant; velint intelligere ad hunc, quasi ad
,, quendam multo commodiorem explicatorem reuertantur; atque hic qui-
,, dem ipse, & seipsum nobis, & eos,qui ante se fuerant in medio posuit, vt
,, cæteros, & seipsum per se cognosceremus; Ab hoc auté qui profecti sunt,
,, quamquam in maximis philosophiæ partibus operæ plurimum consum-
,, pserunt; sicut & ipse,cuius instituta sequebantur,fecerat; tamen per multa
,, nobis præcepta dicendi reliquerunt. Detegam uerò Patritij infantiam: is secundo suarum discussionũ tomo putat luculenter satis ostendere à veteribus omnia Aristotelem hausisse; proprijque nihil conscripsisse; quòd quę philosophiæ vocabula Ar.vsurpauit, à Platone,& alijs Platone antiquioribus vsurpata fuerint: ita ne Patriti arbitraris,quia Ar.nouorum vocabulorum repertor non fuit;neque scientiarum repertorem fuisse?num forte existimas, quia Calepinum bene tenes, Historias & scientiarum orbem bene te tenere? num scientiæ solis constant enunciationibus per se notis, quæ vocibus cognitis, ex seipsis statim intelligantur? hæc tibi in logicis discenda fuerant Patriti; sed qui tu aut Logicen, aut doctrinam aliquam callere potes, qui publica gymnasia nunquam adijsti; tuoque cubiculo, vt gloriaris te ipsum semper continuisti? dices carere nos veterum libris; ob idque nos de veterum eruditione iudicare. at vrgebo rursus te; quæ hæc tua est impudentia, & sycophantia,ò stolidum os, illa potius admirari quæ non vides,quàm illa quę vides,& certo sciunt omnes boni doctrinę atque eruditionis plenissima esse?

Exercitatio IIII.



EGAT hic magnus historiarũ Pater Aristotelem vel à multis fuisse oppugnatum,vel non expugnatum; ac si Plotini disputationes quibus magna ex parte Dixippus satisfecit: Stoicorũ, Pyrrhoniorum, Procli, Galeni in Aristotelem irriti conatus non omnibus notissimi essent; quibus non ita pridem Petri Rami insultationes accesserunt in Francisco Patritio modo reuiuiscentis; quamquam is vere eristicus ingenio erat acutiore,& subtiliore; tu illi com paratus hębes obtusus, plumbeus,stipes, caudex; num pauci hi tibi oppugnatores videntur? imò paucissimi; quia non virtutis magnitudine, sed multitudine librorum, & honorum cumulo hominum merita librare soles;bone Deus quam belle imples fœtidum & spurcum os cum de Hermete

tuo refers libris illum 36525. de artibus, & scientijs omnibus disseruisse: rem sanè grãdem & plus quàm magnificam; splendidioribus etiam librorum titulis in auctorum admirationem interdum traheris; sic enim de Democrito scribis: at conferantur libri Democriti qui à Laertio (confusissimo scilicet, Epicureo, & inertissimo homine) referuntur, magno fastu ab Aristotele oppugnati, nonne varij magis, ac titulis splendidioribus collucent? Ain tu deinde Medicos, & Platonicos omnes credere, à Galeno, Plotino, & Proclo expugnatum Aristotelem, ac de sedibus deiectum? sic enim subnectis; in ijs verò, quibus eum Galenus oppugnauit, & Plotinus, & Proclus Medici & Platonici omnes credunt etiam expugnasse & de sedibus eiecisse: at id nos Peripatetici, quia pugnax, & contentiosum, & cauillosum hominum genus sumus neque credimus, neque concedimus: subdis preoccupatione quadam vtens si Aristoteles in gymnasiorum sedibus sedet pro tribunali; eorum gymnasiorũ veteres leges, & instituta in causa sunt, nõ aũt Aristotelicę doctrinæ vel magnitudo, vel copia, vel certitudo. Etiã Principes viros, Reges, Imperatores, Pontifices Max. criminabere homo impudentissime? tu ne solus modo sapis, docti verò & eruditi uiri, quos nostris Monarchæ in consilium adhibuerunt in legibus, & institutis gymnasiorum sanciendis, & præscribendis amentes, & insipientes? permittite nobis (inquit Patritius) ut Platonici esse possimus. præclarum mehercule Platonicum; scilicet: scimus quidem omnes aliquot te undecunque ex Platone sententias corrasisse, ut Platonicus videri posses; quod quiuis de plebe Philosophorum facere etiam potuisset. at Platonis dogmata unquam intellexisse, in Platonicorum arcana penetrasse; id demum pernegamus; si Platonicus uideri volebas, cur mecum de Platonicis rebus suscipere disputationem renuisti? cur de ideis, de mente nihil? de ente, de formis de motu ne uerbum quidem? quo euadant Phaleratæ istæ tuæ, & putidæ iactationes etiam nunc non uides Patriti? at inquies non posse nos esse Platonicos, quòd Ioannem Duns Scotum, quòd Iandunum, quòd Burleũ, quòd Auenrois Philosophiæ quisquilias in manibus teramus. tu ne spurcissimus Aeserninus honestos uiros de Philosophiaque & Theologia optime meritos damnare, & lacerare audes? tu imperitissimus omnium qui sunt, qui fuerunt, & qui futuri sunt Scholasticæ Theologiæ authores, ueræ sapientiæ lumina argumentosos, & eristicos appellas? num tu Alberto Magno, Diuo Thoma, Ioanne Duns, Guglielmo Ochamo, Durando, Petro Aureolo, Baccone, Egidio Romano plus sapis? Tu ne Marsilio Ficino, & Ioanne Pico Mirandulano maior Platonicus? quorum ille in Scholasticorum lectione exercitatissimus in Epistola ad Martinum Vranium Prænyngerum Herrici Gandauensis, & Ioannis Duns Scoti plurima Platonem redolere pronunciauit; Hic sexennium, & amplius, ut ipse de se in literis ad Hermolaum Barbarum testatur scholasticis uoluminibus conficiendis, vorandisque concessit? Times credo incompto, & inculto illorum stilo polluere orationem tuam; at cur id ueritus non est Iulius Cæsar Scaliger eloquẽtia, & purissima Latinitate non minus quàm omnium genere scientiarum;

tiarum; politissimus? qui in exercit. 249. ad Hieronymum Gardanum ita ſcribit; huic tam præclarę quæſtioni annonæ ſpecies à natura progigni queant affinis alia eſt, non minus illuſtris an Deus facere poſſit melius? quod fecit, quàm quomodo fecit; odioſa quidem nouo huic vulgo, qui in ſuperficie, atque ſupinitate, quam ipſi uocant ſimplicitatem, intelle-ctionum contemplationis noſtræ finem poſuerunt, itaque curioſos nos uocant, & ſcholaſticos; cum ipſi hoc quòd bene dicunt, amant ne ſcire ſe ſe, quare, aut quomodo dicant, aſinis ſimiles ſunt, qui triticum ad molas ferunt, recti namque officij ſui ignorant finem quòd ſi hæc ipſa indagatio uel cauſarum, uel modorum loquendi, atque explicandi ea, quæ rectè cum illis nos quoque ſentimus. neutiquam nos, vel tantillum auertunt a ſyncera, ſimplicique pietate; quid illi nobis in-uident auctarium hoc ſpiritus diuini; quod ille, cui libuerit, impertitè ſuis? ad propopoſitam quæſtionem ſine ulla uel dubitatione, uel cuncta-tione reſpondebit etiam Tyro cæleſtis Philoſophiæ ſic: potuit, poteſt; po-terit; tantum abeſt, ut a nobis aliud expectetur; at huic ita reſpondenti ſi occurram hoc ipſo, quod in animo verſatur, quibus ille verbis excutiat? quid illud? inquies; Hoc: ſi Deus optime fecit: fecit autem optime opti-mus. & addat huic quod fecit, aliquid bonitatis; non optimum illud iam fuerit, quod erat optimum; quare hoc ut intelligamus, admittendam eſſe quæſtionem; & à ſapientibus ſoluendam cenſeo, non quod iſti ruſtici fa-ciunt Sophiſticę damnatam perplexitatis repudiandam, quod ut expedia-mus, æquabili, atque compoſita oratione ſic inſtituemus: reſpondent ſapientes abſolutam poteſtatem ab ordinaria diſtinguendo; Agens inquiũt ordinarie, qui ſecundum legem rectam facit, aut eſt ſub lege, aut ſupra legem; ſi eſt ſub lege, non poteſt aliter facere rectè: ſi ipſe fecit legem, po-teſt & aliam legem facere alia poteſtate, id eſt abſoluta: deinde ſecundum eam legem ordinarie agere. ſic Deus poteſt etiam aliter facere, quia lex eſ-ſet, illa quoque recta, ſi ſtatueretur à Deo. hęc Scaliger. in quibus aduer-tiſti quibus nominibus te & compares tui, quibus Scholaſticæ Theologię auctores appellarit? at id non hoc tantum loco; ſed alijs quoque plurimis egregie & ſtrenue contra uos; amanter, & ſtudioſe pro ſcholaſticis au-thoribus agit. quibus ille Guglielmum Ochamum, & Ioannem Duns Scotum laudibus & encomijs effert? quibus Ioannem ſuiſſet quem in exer-cit. 324. ingenij humani penè modum exceſſiſſe ſcribit? de quo exercit. etiam 340. ita Ioannem Calculatorem tam acute ſcripſiſſe uidemus, ut a paucis plenè, ac pro meritis intelligatur; tam doctè ſibi ille uiſus eſt, ut cum ſenex legeret, quæ iuuenis in literas retuliſſet, vbertim fleuiſſe dicatur: ſi-ue, quod equidem puto, quia quaſi recenter frueretur ueteri diligentia; ſiue, quod paulo iniquius aliter ſunt interpretati; quia quæ olim ſcripſiſ-ſet in ætate florenti; in effœta minus aſſequi poſſet intelligendo; dignus profecto, quem neque ſenium ſenem faceret; neque naturæ lex uita pri-uaret; niſi meliorem uitam apparaſſet; hæc libentius ſcribo, quia illo uiro maximo multa debeo, plura debiturus; ſi per ingenij mei imbecillitatem

" licuisset; non enim leuiter in eius campo nos exercuimus. hunc hominem quia scholasticus fuit; tibi ne de nomine quidem notum puto; qui omnium minime scholasticus es: id est, non de schola es, sed ex Triuio, & grege hominum. de his satis: neque enim sapientis est stultas, & aperte falsas pertinacias insectari.

Exercitatio V.



IMPVDENTEM me Patritius appellat, & contra historias clare & aperte traditas mentiri dicit, quòd totam antiquitatem vnum Aristotelem præ reliquis admiratam esse scripserim qui dum ita blaterat, quàm ipse exigua memoria quàm blenno, & mucido ingenio sit, minime cognoscit, neque id mirum, quoniam nequissimum diuisorem nullus ueritatis amor tenet; in hoc duntaxat intentum, ut amasiorum nominibus apiciorumque, & epicureorum turpissima uolumina referciat; capitaleque, & plusquam uatinianum odium ostendat, quo in bonos omnes suffusus est: hunc in honestissimos quosque uiros furentem ac debachantem tellus sustinet? Viri Principes patiuntur? at historię ueritatem expendamus, ab eaque illum longissime abesse demonstremus, ut constet ob solam iracundiam in me debitas Aristoteli laudes Patritium negasse. In principio libri secundi primi
" tomi sic de Aristotele scripserat; Omnis antiquitas maximis Aristotelē lau-
" dibus semper ornauit, omnis auorum, atque attauorum nostrorum ætas
" est admirata; omnis etiam nostra ingentibus cum encomijs prosequitur, admiratur. ipse igitur impudens est, & prorsus obliuiosus eo nunc uiro acerrime carpendo, quem non ita pridem summopere laudauerat; non ego, qui ex historiæ ueritate toti antiquitati Aristotelem præ reliquis admirationi scripsi extitisse; quod ne à Patritio solo uidear hausisse; Veterum historicorum libris perlustrandis rem eandem confirmabo Platonem maximi Aristotelis ingenium fecisse, apud omnes in confesso est; cæteros etiam eodem tempore Aristotelis doctrinam coluisse ex eo perspicuum est, quòd non ausus fuisset Aristot. Athenis, in externa ciuitate Platonis, Xenocratis, & Speusippi Patria Philosophiam docere, Platonemque, & Platonis successores docendo coarguere nisi fama, ęstimatione, & auditorum numero suffultus: neque uero pauciores auditores Theophrastus habuit Aristotelis cum successor, tum etiam discipulus, Platonisque, Zenocratis, & Speusippi aduersarius, cuius scholam ad duo millia discipulorum frequentasse memorantur: post Theophrastum calamitatis non parum passa est Aristotelis doctrina, ut ex loco Strabonis ante citato manifestum est; ex qua historia Aristotelis libri maxime nobilitantur. quia neque tanto studio ab Attalicorum Regibus conquisiti, neque tanta diligentia sepulti, deindeque effossi, neque Romā expertati à Viro summopere armis debito fuissent; sic.n. subnectit Strabo. Multum ad hoc Romani contule-

„ runt; nam continuo post Apelliconis obitum Sylla qui Athenas cœpit, al-
„ lata illius Bibliotheca huc eam transtulit. Nisi magni cuiusdam, & insoliti pretij tunc illos certa fama iudicassent. post Theophrastum insignes fuerunt Peripatetici Aristotelis ipsi quoque auditores Strato Lampsacenus cognomento Physicus, Demetrius Phalereus, & alij innumeri, quos tu lib. 11. primi tomi recenses; quales autem uiri? Strato magister fuit Ptolemei Philadelphi secundi post Alexandrum Magnum Aegypti Regis, à quo talentis octoginta donatus est: Demetrius ob præclara eius in Remp. Atheniensium merita decennali Vrbis præfectura, & 360. æreis statuis honoratus fuit; sub id tempus alia quoque calamitas Aristotelicæ doctrinæ gloriam & celebritatem inuasit; quoniam Athenienses commutatis in Demetrium animis, illius omnes statuas miserè prosciderũt; indeq; uerò simile fit ob infensos animos in scholæ Principem Peripateticorum totam sectam inuisam tempore aliquo Atheniensibus fuisse: quæ res Aristotelis gloriæ, & antiquitatis in illum admirationi ne hilum quidem officit; cum non ex doctrinæ ignobilitate, sed vel ex hominum vitio, vel ex alijs causis huiusmodi in Peripateticos infortunia nata fuerint; Subinfert deinde mendacissimus nuga-
„ tor post Nelei mortem per cclx. & amplius annos, Platonicam, Epicuream,
„ Zenoniam, Cynicam, & Cyrenaicam sectam magna gloria floruisse, mul-
„ tosque habuisse admiratores, dum tacita, & ignota Aristotelica vel omni-
„ no silebat, vel nullo gloriæ nomine, & obscurè Athenis tantummodo strepitare vix audiebatur. Quod aperte falsum est, quoniam Olympiade 121. eò se propagauerat Aristotelis nomen, vt etiam Hierosolymis clari Peripatetici inuenirentur, & inter alios Aristobulus cognomento dictus Peripateticus, cuius initio posterioris libri Machabæorum fit mentio; & qui affirmauit Aristotelis philosophiam plerisque in rebus cum Mosis doctrina conuenire, vt à Clemente lib. 1. Stromb. & ab Eusebio in libris de præparat.
„ Euang. scribitur. In eo non minus falsus est Themistium, Ammonium, Phi-
„ loponum, Simplicium maiore & parte, & affectu Platonicos fuisse; quod ostendunt Ammonij, & Simplicij testimonia à me in Aristotelis laudem adducta; illorum scripta in Aristotelem plura, quàm in Platonem; & ratio philosophandi Peripatetico magis, quàm Platonico modo instituta; subdit Patritius plures fuisse, qui Platonem exposuerunt, commentarijsque illustrarunt, quàm qui Aristotelem; Platonisque interpretes duos & quinquaginta enumerat; Aristotelis autem quinque tantum sincere Aristotelicos Andronicum, Alexandrum Aegeum, Adrastum, Aspasium, & Alexandrum Aphrodisieum. hui Patriti, at vbi sunt illi centum & amplius Peripatetici, quos tu libro 11. primi tomi nominatim recensuisti? tam lubet mentiri & tibi ipsi pugnantia scribere? iusta ne contradictionis, & mendacij redemptio fuerit, centum illos quos nominauisti Peripateticos non sincere Aristotelicos fuisse? quos tu sincere Aristotelicos & sincere Platonicos vocas? illos puto qui seruili ingenio Aristotelis, & Platonis sunt sectatores: at qui scis tu impudentissime quos nominas Platonicos Platonis doctrinæ semper, & in omnibus adhæsisse; ab eaque ne latum quidem vnguem discessis-

se?

se? cum illorum nihil propemodum extet; ac à Proclo, Olympiodoro, Nicolao Cusano, & Eunapio citentur solum? quamquam impossibile puto nobilem quemquam uel Platonis, vel Aristotelis interpretem sincere isto modo vel Platonicum, vel Aristotelicum fuisse, aut esse potuisse: scientiæ etenim & rerum cognitiones non libris, sed animo librorum occasione comprehenduntur; mens vere scientiarum doctrix & magistra est, ipsa sibi notitiam parat; & doctrinam indit, quæ vt maxime varia est in abstrahendo, cogitando, contemplando, ratiocinando, ita varie in intelligibilium campo versatur, seque in literis proficiendo exercet, sensuum præterea in obiectis deferendis diuersitas accedit, non eodem omnium omnibus temperamento velocitate, tarditate, pertinacia, puritate, affectu, diligentia con uenientibus: vnde fit, vt perrarò eædem aliquorum de re ulla opiniones, esse possint, si quidem eodem modo intelligantur, & sub ijsdem omnino conditionibus accipiantur. Fateor tamen plures ex Peripati alumnis Aristoteli contradixisse, quàm ex Academia Platoni, quoniam is nullis velaminibus, nullis inuolucris suam sententiam tegit, vt illi qui contra sentiũt, vel in obscuritate, & ambiguitate, vel in sacro Symbolo quod diuersam interpretationem admittere videtur excusationem inuenire possint, ne ab Aristotele dissensisse videantur. hic nihil planè, nihil aperte tradit, sed tantum allicit mellita oratione, atque ad penetrandos diuinæ sapientię recessus inuitamenta præbet: hinc paucissimos videas ex Platonis sectatoribus positionibus, & argumentis ijsdem prorsus vtentes, sua quisque inuenta, viridaria, symbola, lepores, & ordinem priuatim habet; neque qui vnum intellexit, facile alium intelliget nisi nouis laboribus, & nouis vigilijs in eo versatus fuerit; omnes tamen oratorio modo scribunt, aut lymphatico quodam stylo & instinctu philosophiam tractant; contra Peripatetici breui, acuta, seuera, graui, neruosa & ad docendum accommodata oratione vtuntur; sensum ipsum in docendo adhibent; & nisi ratione sibi credi nunquam postulant; de rebus differunt non solum diuinis, vt Platonici, sed de omnibus, & de natura plenissime, de moribus, de rep. de re familiari, de animantum omnium ortu, victu, figuris, de plantis, de facultate ea quæ tota in disputando est; de Rhetorica, de Poetica, de Mechanicis; hæc ingenitam cunctis hominibus curiositatem vere explent; doctrinamq; & scientiam pro spectris, & pro phantasmatis faciũt; maiorem igitur Peripatetici, quàm Platonici sui admirationem exhibuerunt; amplius dico Platonica dogmata vix, ac ne vix quidem intelligi posse, nisi natura & rei vniuersitate bene ante perspecta; unde concludo pessimum te Platonicum esse, quia Peripateticus renuis esse; sic enim sumus omnes ingenio & natura cõparati, vt per res nobis magis obuias in illorum cognitionem deducamur; quæ per uia non sunt; plures igitur Aristotelem, quàm Platonem fuerunt admirati, ob naturam totam ab Aristotele luculentissime explanatam, quæ cũ bene perspecta est, iter præbet ad Platonem bene intelligendum; non ut tu nobiles Platonici senserunt, quorum nullus Platonis libros uersare ausus est; nisi Aristotele ante & bene trito · atque illis ipsis temporibus quibus
tu

tu præ Platone Ariſtotelis nomen obſcurum fuiſſe ſcribis, neceſſarium Platonicis fuit in Ariſtotelis aut doctrina, aut etiam libris ante inſtitui, quàm Platonis ſacris initiarentur; niſi plene, & perfecte, pingui ſaltem quadam rudique Minerua; quid autem mirum ſi Peripateci nonnulli cum Ariſtotele aliqua non ſenſerint; quando ipſe ſecum aliqua non ſemper ſenſit? quoniam, ut Plutarchus ſcribit in libro de uirtute morum quædam, quæ antea probauerat; deinde rectratauit; neque uero oportuit omni tempore plurimos in Ariſtotelem commentaria edere, Ariſtotelique inſiſtere magis quàm Platoni; quoniam uiciſſitudo eſt humanorum ingeniorum nunc his, nunc illis ſeſe uariè oblectantiũ: maiori tamen gloriæ Ariſtoteli fuerit à paucis patienter legi; donec, uel ſuperficiarie intelligatur ob ſenticoſam & vere didaſcalicam de rebus omnibus orationem; quàm Platoni ſuorum illorum hortorum paucas amænitates in omnium manibus uerſari; non tamen difficultatem nego, quæ in rebus diuinis bene intelligendis ſita eſt. hoc unum dico, quæ de diuinis pronunciantur, talia plerumque eſſe, vt multi illorum ſibi cognitionem uendicent; cum tamen nihil intelligant; vt tu, qui Platonicum ſtrenuè agis cum nihil Platonici nectaris præter corticem guſtaueris; quod te aliquando docebimus, ſi uoles: ſed me reuoco; quid enim tecũ mihi, qui Epicuri, Ariſtippi, & Pyrrhonis infamia nomina Ariſtotele glorioſiora fuiſſe ſcribis? ſemper ne ad Dialecticorum fontes mihi eris remittendus? Logicorum ferulæ manum ſubduces ſemper? Ego ita ſcripſeram. Vnum Ariſtotelem tota ſemper præ reliquis admirata eſt antiquitas; tu contra ſic, plures admirati ſunt Epicurum, quàm Ariſtotelem; non ergo unum Ariſtotelem tota ſemper prę reliquis antiquitas admirata eſt: Aeſopi fabellas lege ò bone; isque docebit te in magna multitudine uix vnum aut alterum hominem in balneis repertum; aut Philoſophi illius conſuetudinem contemplare animo, qui in media ipſa diei luce, laterna hominem quæritabat: pudeat, hominum laudes & merita lanionum ſtatera, & lancibus librare; ſecus ego, qui mille compares tui infimum de peripato æquare poſſe haud puto.

Exercitatio VI.



IHIL Patritio mirius cum negat ſolidam ſapientiam in Ariſtotelis ſciẽtia inueniri. Quomodo, inquit, altera in hac altera ſita eſt, quando Ariſtoteles met ipſe eas inter ſe diſtinguit? te Patriti abecedarium dialecticum de ſapientiæ, & ſcientię diſtinctione audere loqui? id niſi per te ipſum in cubiculo diſcere potueras; ex me diſcere ſaltem debuiſſes eo ipſo opere, quod ideo oppugnas, quia non intelligis; neque es intellecturus unquam, niſi cum depoſita ea, quam de te, & tua eruditione habes opinione ſine ſupercilio, ſine faſtu gymnaſiorum ſcholas frequentabis; nec pudeat verò, quia ſexagenarius es, Philoſophiæ prima elementa ab alijs edoceri; pudeat po-

tius nescire: nunc uidere uideor præcipites illos tuos in excandescentiam stimulos magnis te, & insanis furoribus agere; menteque & ratione dimouere; me miserum si tibi Polyphemico bambalyoni hæc legenti obijcerer, tunderes pugnis, credo, lacerares, dispergeres. sed ad rem. Quomodo
» inquis Aristotelis scientia solida, idest firma & certa est, quando in illa ni-
» hil est solidum, nihil firmum, nihil certum, nihil non sexcentis dubitatio-
» nibus, ac quæstionibus agitatum? cum ne Pyrrhonia quidem secta illa in
» tanto incertitudinis salo iactata sit, in quanto post Auenrois hæc Aristo-
» telica & iactata fuit, & etiam nunc est; ac forte erit in posterum. Subdit
» deinde Patritius in tantum contentionum, ac rixarum studium Peripa-
» tetici hi exarserunt, ut tamquam pro aris, & focis pertinacissime maxi-
» me cauillosis argumentationibus depugnauerint; quòd sanè Græci, He-
» bræi, & Arabes minime fecerunt, sed sincerius sunt in Aristotele versati;
» Latini nominis Barbari soli hoc nugosarum quæstionum pelagus concita-
» runt; neque ob id aliquod scientiæ nomen apud suos recte philosophantes
» sunt consecuti; sed sophistarum his paucis vix dici potest, quàm ipse tecum pugnes; nam si Hebræi, & Arabes sincerius sunt in Aristotele uersati, ac vt Latini nugosarum quæstionum pelagus secuti non sunt: cur me solidam Aristotelis scientiam appellantem reprehendis? qui scis tu illorum ne, an Latinorum ego sectator fiem? quamquam sim etiam Latinorum Philosophorum assecla; quid hoc ad Aristotelicæ doctrinæ reprehensionem; ipsa si per se solida est, firma, & certa ut à te asserebatur? nam post Auenrois fluctuare solũ cæpit per te Aristotelis doctrina; ante illũ ergo solida erat: scripserã aũt ego hunc in modũ; Aristotelis scientiam solidę sapientię studiosi, quo altius sunt Philosophati; eò ardentioribus studijs, & firmiorib. coluerunt. Latini nominis Peripatetici non sunt Patritij palato solidæ sapientiæ studiosi, sed eristici, sed litigiosi, sed contentiosi, sed Sophisticuli; non ergo illorum incertitudo ad Aristotelis doctrinæ firmitatem tollendam quid quam facit: Vides putre silicernium, ut semper rapiare nimio studio Aristotelem in omnibus seu per fas, seu per nefas reprehendendi? nego tamen tibi Latini nominis Peripateticos Sophistas esse, quia de rebus ad Philosophiam spectantibus maxime contentiosis concertationibus depugnẽt, causam si nescis, eam senex à me iuuene, disce; Mens hominum dum tenebricoso corpore concluditur obtusam aciem habet; nudam veritatem neque intuetur, neque intueri potest; quòd sicut Democritus tuus dicebat profundo puteo demersa est: horum tibi mysteriorum penetralia si reserarem; quantus Platonicus bone Deus ipse tibi uiderere? sed ne margaritæ porcis; Mens inquam quoniam in veritatem ipsam nudam inspicere non potest; sensibus eam ueluti canibus uęnaticis inuestigat; ut in sensilibus simulachris tamquam in imperfectis quibusdam speculis illius saltem imaginem aliquam contempletur: sensus accidentia sola, eaque externa percipiunt, substantiæ & essentiæ rerum uestigium aliquod uix apparet; quod quantum est, incertum, uarium inconstans, & multiplex existit; ob id necessitas cunctis nobis disputandi, contendendi, iurgandi, alter-
candi

candi de rerum ueritate; donec eo perfectionis deducamur; ut cum Socrate dicamus, hoc unum scimus, quòd nihil scimus; hinc illa Salomonis, qui addit scientiam, addit & laborem; qui enim labor contingere humanæ menti potest, nisi ab incertitudine, & ab ijs, quas ipsa saltem secum contentionibus exercet? quod nisi esset; nulla fidei sacrosanctæ necessitas foret, inquit Diuus Thomas; Philosophorum igitur doctrinæ solidæ appellantur apte, & accommodate ad humanę mentis naturam; cuius caligantes sunt oculi, languida & infirma acies: ita solidius putant eruditi dogma aliquod de quo in utramque partem acutis, subtilibus, & vere scholasticis argumentis disputatur, quàm illud quod quis ipse sibi, sine argumentorum momentis, etiam obstinatissime in animum inducat, firmissimumque & certissimum iudicet: alterutro Patritium morbo laborare necessum est, ut aut se scire credat, quæ leui quadam, & facili solum fide tenet; quod Platonicorum plerisq; cõtingere uideo; qui malunt se ipsos decipere inani credulitate, quàm delicatula, & fabellis apta ingenia laboriosis syllogismis exercere: ac pacato quodam, & securo contemplationis cœlo perfrui sese per impudentissimam infantiam mentiuntur: non de omnibus loquor, sed de illis, qui Patritij similes sunt: quem nisi morbus hic habeat, deteriori necessarium & ægrum esse; Origeniana hæresi à Platonicorum fontibus hausta; quæ est ingenitas esse animis nostris rerum certas & firmas ideas ob longorum temporum transactam uitam, antequam in humana corpora illaberentur: quas ipsi sibi capite fricando, scalpendoque denundent, ut in illis sine labore, magna cum uoluptate (sed sumpto ante elleboro) puram & sinceram ueritatem contemplentur: O uos beatos Philosophos, qui nunquam dubitatis, nunquam ambigitis, sed certa omnia, compertaque habetis: miseros uerò nos, qui Sophistæ contentiosæq; corniculæ sumus. sed quid dico Sophistæ? cum ne huius quidem turpissimi nominis per Franciscum Patritium potestas detur? sic enim subnectit de
„ Latinis Peripateticis loquens. Neque ob id aliquod scientiæ nomen apud
„ suos rectè Philosophantes sunt consecuti; sed Sophistarum; imo ne So-
„ phistarum quidem, quando Ar. tradat Philosophum, dialecticum, & So-
„ phistam circa omnia entia versari; hi verò nisi in parte trium, aut quatuor
„ librorum eius uniuersas suas exercent altercationes, ac bella; quòd si nec
„ Philosophorum, nec dialecticorum, nec Sophistarum nomine non sunt
„ verè uocandi, nec Aristotelici, nec Peripatetici sunt appellandi, falsoque
„ sunt hæc ab eis nomina concupita, & usurpata. De quibus tu Latini nominis Peripateticis loqueris homo inertissime; num Albertus Magnus, D. Thomas, Egidius Romanus, de rebus prope omnibus non doctissime scripserunt? num recetiores Latini nominis Peripatetici Petrus Pomponatius, Augustinus Suessanus, Gaspar Contarenus, Ludouicus Buccaferrea, Iulius Cæsar Scaliger, Faber Stapulensis, fœlicissime idem non præstiterunt? Ego scio, quod ipse tibi malum proprio iumento accersere cupias, ut historica uidelicet, rhetorica, militaria, & Philosophica tua a Peripatetico aliquo proterantur, laruis, lemuribus, & bustuarijs imaginibus detectis,

ctis, quibus vbertim ſcatent: at quæ tua eſt impuriſſima ſycophantia, nec tunc fatebre nos ſophiſticulos circa omnia entia verſari, ſed victus etiamdum ſedere in factitio triumpho voles laurea coronatus, dextra rami laurum tenens, os minio illitus, bulla ornatus; toga, tunicaque triumphali indutus, legatis, tribunis, militibus tuis hoc tibi elogium accinentibus: ELOQVENTIAE, HISTORIAE, LOGICAE, PHILOSOPHIAE RESTITVTOR. IN RE LITERARIA DEVICTIS ARISTOTELE, AVERROE, THOMA, ALBERTO MAGNO, OMNIBVS DENIQVE LATINI NOMINIS PERIPATETICIS MAGNIFICVS TRIVMPHATOR FRANCISCVS PATRITIVS SEMPER AVGVSTVS.

EXERCITATIONVM THEODORI ANGELVTII CVM FRANCISCO PATRITIO.

Sectio Tertia, & Exercitatio Prima.



ME arrogantem grammatiſtam, & impudentem homunculum vocat hic perfrictæ frontis nebulo; quòd Nicolaum Damaſcenum, & Plutarchum præſtantiſſimos viros, quia Ariſtotelis Metaphyſicorum ordinem minus probarunt incuſare, audaciæque notare auſus fuerim; Ego Damaſceni iſtius nihil vnquã ſum admiratus, quia non vt tu librorum multitudine, & titulorum ſplendore moueor rebus de quibus authores ſcripſerunt, minime lectis; ſed ita plerique, qui illa quæ omnium maxime ignorant admirantur, vehementerque ſuſpiciunt, vt admirabili modo admirari & ſapere videantur: Plutarchum plurimi ſemper feci, lectioneque illius plus te profeci; quod oſtendunt tua in nos maligne, impotenter, & petulanter dicta, quæ Plutarchum edocti non omnibus modis vlciſcimur; ac nullos fortaſſe libros habeo, quos magis manibus teram, ſucciſiuis tamen horis, illis ſcilicet, quibus à ſeueriori contemplatione mens vacua eſt: Tu Patriti nihil arduum, nihil difficile; ſed omnia facilia, & parabilia vis; non te Mathematicorum ſubtilitates torquent, non Phyſicorum perplexitates excruciant, non Ioannis ſuiſſet calculatoris obſcuritates, nõ Aſtrologorum dimenſiones, non aliquid deniq; quod vel hiſtoricum, vel oratorium non ſit: etiamne ſomnianti tibi recon-

ditam eruditionem infuſam iri putas? citas quidem alicubi Cuſani Cardinalis teſtimonium, non tamen credimus molle iſtud tuum cerebrum diuturniorem Cuſani lectionem ferre potuiſſe: Quod ad Plutarchum attinet, non ego illum laceſſam iniurijs, vt ſecus quàm tu exemplo tuo ſentire uidear; non obijciam mendacia à viris doctiſſimis notata; optime eum de re literaria meritum dico; ſtudijs, & opibus omnibus laudo; præclarum philoſophum, egregium hiſtoricũ iudico; nihil eo ad commouendos animos, vt ad virtutem incitentur aptius & accommodatius credo; ſed quid hæc ſi cum Ariſtotelis laudibus conferantur litigioſiſſime omnium audacule? ſemper ne dialecticæ ignorationem tibi exprobrabo? ita enim ampliſſimorum virorum gloriam metiris, hoc modo ſcribens; Non ſunt quidem in Plutarcho A. & B. & C. tam ſpinoſa argumentorum formandorum; neque demonſtrationis impoſſibilis vllæ vel perplexæ, vel perdifficiles perplexitates; non inutiles illæ, & ſuperuacaneæ metaphyſicales, ſcolaſticis iſtis altercationibus amicę quæſtiones; non illæ nihili, materiæ, formæ, priuationesque ex quibus præterquam tenebroſam quandam vmbratilium rerum vmbram nihil percipias prorſus, aut conficias; ſunt tamen in eius ſcriptis ex Chaldęorum, ex Aegyptiorum, ex veterum Gręcorum libris eruta, & tradita rationi, ſenſuique magis conſona rerum principia, reſque naturæ ipſius prope vniuerſæ. non ſimplici illa Ariſtotelica adumbratione, quòd virtus omnis conſiſtat in duorum extremorum mediocritate; ſed pręter hęc addita ſunt exempla, adhortationes, modi, quibus vel eos habitus acquiramus; & ſecundum ea opera peragamus; & in communis vitę degendę vſum veniamus: quid enim nobis profuerit ſcire ex Ariſtotele virtutem omnem in mediocritate conſiſtere extremorum, totasque dies noctesque idipſum diſputationibus, atque altercationibus ſcholas omnes, viasque vſque ad Vulgi faſtidium perſonare, argutarique? ſi non etiam per ea doceamur, quibus modis eam ipſam mediocritatem conſequamur? qui ſane modi ac vię, ſicuti in Ariſtotele nullę ſunt, ſic apud Plutarchum multę, & varię ſunt. vt Petrarchę elegantiſſimas cantiunculas cum Euclidis, & Ptolemei lucubrationibus comparare videaris; non eadem, non eodem modo, non cum eodem fine accipis: ſed ex Plutarcho credo prędaros viros nequiter comparandi rationem te didiciſſe; non ſoli nos hanc Plutarcho culpam tribuimus, ſed nobiſcum doctiſſimi quique, inter quos vir omni doctrinarum genere cultiſſimus & ornatiſſimus Bodinus, quem ego cum Pariſijs agerem non ſemel hiſtorica tua indignabundo ore ſtomachatum memini.

Exercitatio II.


IHIL impuro homine intolerabilus, qui frontem ſemel exuerit, obijcit hic mihi ſententiæ meæ de Metaphyſicis nouitatem; ſic enim ſcribit: ſi noua ſententia eſt; Ariſtotelica non eſt, cur ergo pro Ariſtotelica eam uenditas? ſin vero Ariſtotelica eſt, ea noua ſanè non eſt. hæc cine tu Dialecticæ, & Philoſophiæ auguſtiſſimus reſtitutor? ita ne bone calculator nihil nouum credis, niſi quod ab omnium temporum memoria diſſidet? an putas ſi tua mendaciſſima oratione uiri Principes impulſi, Ariſtotelis in ſcholis lectionem prohiberent, pro eaque Platonis ſubſtituerent; non id nouum fore? num te nouum in Philoſophia impoſtorem uerebimur appellare; quia alij quoque idem quod tu retroactis ſeculis per impudentiam tentarint? Ego ſim adeo impudés, ut Ariſtotelica Ariſtotele ipſo melius declarare poſſe ſperem? ſubnectit Patritius; ego nihil ſine teſtimonijs, tu omnia ſine ullis; Papæ iugulaſti me; ſed de hoc mox cum ab utroque allata teſtimonia examinabuntur, atque oſtendetur obrui te ſylua teſtimoniorum, ut meæ de Metaphyſicorum ſubiecto genere opinioni aſſentiaris; tam malignum tamen eſſe, vt in apertiſſima, & manifeſtiſſima ueritate cęcutire malis, quàm nobiſcum bene ſentire. pergis non nouam te ex proprio ingenio de Metaphyſicis libris ſententiam deprompſiſſe, quia nihil quicquam in eo librorum tomo ſine ueterum authorum teſtimonijs dixeris, & dicere ſis profeſſus. fingis autem homo malitioſiſſime, vt chartas nugis impleas, non intelligere te quam ipſe meo iudicio nouam, & à ratione alienam de Metaphyſicis libris ſententiam edideris: non illud nouum eſt Patriti libros Ariſtotelis Theophraſto relictos eſſe, ab hoc traditos Neleo à tineis, atque inani Apellicontis ſtudio, librariorumque negligentia corruptos fuiſſe, ſed illud Ariſtotelem libros Metaphyſicos à ſe non ſatis reuiſos, nec caſtigatos emendandos Theophraſto reliquiſſe. atque item illud ſolos libros 1.2.10.12.13. ad tractationem de intelligentijs pertinere, hoc eſt ulcus, hic morbus vrget nos Patritius rurſus hoc modo; Nullam ſcientiam de intelligentijs, vt tu mihi falſo adſcribis ijs contineri dico; neque enim in Ariſtotele intelligentias vllas agnoſco, & nullas (quod tibi, tuique ſimilibus Peripateticis nonius videatur) tota ſua Philoſophia intelligentias contineri aſſero? Auenroisque peſſime omnium eas hoc nomine nuncupaſſe; peſſimeque Scholaſticos iſtos tuos eum eſſe ſecutos, neque enim Ariſtoteles vllarum intelligentiarum eo ſignificatu, quo à rudibus tui magiſtris accipiuntur ullo in loco ullam fecit mentionem: intelligentia eſt noeſis, intellectus actio, atque operatio, quindecies quidem Ar. lib. 11. intelligentiæ nœſeos nomine utitur, dum de intellectu loquitur, at ſemper pro intellectus operatione, hoc eſt intellectione ſumit; at ſi neſcis eſſentia intellectus ab eius actione ſanè differt; quæ ergo ſunt iſtæ veſtræ intelligentiæ non Ariſtotelicæ? Ariſtotelica intelligentia eſt primæ cauſæ,

& Dei intellectio, præterquam non ſunt apud eum toto eo libro aliæ ullæ, neque intellectus alij, quam primus ille, quem Deum, & primam cauſam, & primam ſubſtantiam appellat, & præter hunc unum alij intellectus nulli: idem paulo poſt ita ſubdis. & multo minus eſt Ariſtotelica alia illa ſententia de intelligentijs, hoc eſt ſubſtantijs Planetarum orbes mouentibus: quas quidem dum de eis loquitur, nunquam intelligentias, nunquam etiam intellectus uocat; ſed ſubſtantias quinquies, ſemel principia archas, neque aliter ſe rem hanc apud Ariſtotelem habere nec tua acuties, nec uniuerſa Scholaſticorum ſchola comperietis. hæc Patriti acumina, & ſubtilia inuenta non tua ſunt, ſed Andreæ Cæſalpini Philoſophi, & Medici clariſſimi, qui libro 2. Peripateticarum quæſtionum, quæſtione ſexta unam tantum intelligentiam in Ariſtotelis doctrina reperiri quę Deus eſt his uerbis declarat; Vnica & ſimplex intelligentia ſui ipſius exiſtens, ſufficiens eſt ad omnium intellectionem; nam reliqua cum per ſe non poſſint intelligi; per illam intelliguntur; & quemadmodum unius finis rationem continet omnium, quæ finis gratia habentur, ſic unica ſubſtantia ſeparata optimi rationem habens, ratio eſt omnium inſeparabilium, & eorum quæ ſecundum additionem materiæ dicuntur: ob multitudinem igitur formarum materialium non eſt neceſſe intelligentias multiplicari: ratione autem mouentium orbes cęleſtes, quemadmodum Ar. multitudinem ſubſtantiarum immobilium conſtituit; ſic intelligentiarum multitudo ponenda uidetur: conſiderata enim quatenus mouet totum cœlum, una intelligentia eſt, unum enim eſt totum cœlum; quatenus autem partes mouet, tot erunt intelligentiæ, quot partes: ſimile igitur eſſet, ac ſi animam ſentientem multas habere partes cenſeremus, quia multis inſtrumentis uim ſentiendi tribuit, cum tamen per ſe una ſit, & indiuiſibilis in corde ſedens, ut uoluit Ariſtoteles: hoc autem modo intelligentias multas eſſe non repugnat unitati, & ſimplicitati intelligentiæ, quam poſuimus, ut enim eadem anima ſentiendi in oculo uiſus appellatur, in aure autem auditus, ſic eadem intelligentia quatenus Lunam mouet, Lunæ aſcribitur, quatenus autem Saturnum Saturno, & de cæteris eodem modo; de quibus fruſtra quæritur utrum aliàs intelligant; cum re non ſint alię, quatenus autem alię concipiuntur, cum ſint ueluti pes, & manus, oculus, & auris; impoſſibile eſt ſe inuicem intelligere; fierent enim idem inter ſe; & cum toto: ſed quemadmodum anima uigente, omnia inſtrumenta agunt opus propriũ non alienum; ſic intelligentia ſeipſam intelligente, ſingulæ partes (ſi partes appellare fas eſt) ſeipſas intelligunt ſolum: Huiuſmodi aut intelligentię in una includuntur quemadmodum partes in toto, aut numerus minor in maiori, aut ut in quadrangulo triangulum; aut melius ut id, quod eſt ſecundum quid in eo, quod ſimpliciter dicitur, & ut linearum fines cum centro, idem enim omnium finis. Nos Patriti intelligentiarum appellatione non intellectiones, ut vos, ſed mentes ſeu intellectus materia carentes intelligimus, easque in Ariſtotelis doctrina inuenire dicimus; quod ita oſtendimus. Ariſtot. in primo de cœlo, tex. 100. ſic ſcribit: At de-

monſtratum

„ monstratum est extra cœlum nec esse corpus, nec etiam esse posse: patet er-
„ go neque locum extra cœlum esse, neque uacuum, neque tempus, quocir-
„ ca neque apta sunt ea, quæ illic sunt esse in loco, neque tempus senescere
„ ipsa facit; neque ullius eorum est ulla mutatio, quæ super extima sunt
„ disposita latione; sed nullis alterationibus, nullis passionibus prorsus
„ subiecta optimam in uniuersa sempiternitate uitam, & sufficientissimam
„ habent; diuine namque nomē hoc pronunciatum est ab antiquis &c. cre-
didit igitur præter Deum optimum maximum substantias quasdam inue-
niri immateriales, & intelligendi facultate præditas; uita enim omnis aut
ad vegetantem animam, aut ad sentientem, aut ad intelligentem refertur;
carent illæ substantię corpore, & viuunt, intelligunt igitur; intelligunt
igitur, suntque intellectus: ne vero confugias eò, alias esse substantias
mouentes orbes secundum Aristotelem, quàm quæ in extima cœli super-
ficie beatissimā uitam agunt; Aristotelem rursus audi in lib. 12. Met. tex. 48.
„ quòd si nullam lationē possibile est esse, quę nō ordinetur ad lationem Stel-
„ læ; omnem item naturam, omnemque substantiam impassibilem, & per
„ se arbitrari oportet optimum forsitan finem esse; nulla profectò pręter
„ has alia natura erit; sed hunc necesse est numerum substantiarum esse; si
„ enim aliæ sunt, utique mouebunt; cum lationis finis sint, sed esse alias la
„ tiones pręter dictas impossibile est. Idem Ar. in 2. lib. de cœlo tex. 12. ita
scribit. Cùm autem à nobis sit antea definitum tales potentias ijs inesse,
„ quę principium motus habent, & cœlum sit animatum; atque principium
„ habeat motus, patet ipsi superum, inferumque & dextrum atque lęuum in-
esse. Qua igitur anima cœlum animatum fuerit? Num uegetante? at quo
egeruntur cœlestia illa stercora? in Patritij diuinum os credo: quę erunt
cœlo alimenta? quę esculenta, quę poculenta tam uasto corpori suffi-
cient? Plinij monstruosos errores adduces nobis? num sentiente? at hęc
illam supponit: qui item cœlo oculi, auditus, tactus, odoratus, gustus?
intelligente igitur anima cœlum animatum est, seu tamquam forma, seu
tamquam assistente; de hoc enim non disputamus modo; intelligenti ani
mę semper inest intellectus; si solus Deus cœlo moue ndo, & regendo prę-
sit, ridicule cœlum scribitur animatum; ridiculæ etiam magis in eo su-
perum inferum, dextrumque & lęuum quæruntur. libro item duode-
cimo Met. text. 35. & 36. disertis verbis scribitur Primum mouens quod
immobile est mouere, ut concupiscibile, intelligibile, & desiderabile. At
quo modo concupiscent, intelligent, desiderabuntque cœlestia corpora
si mente carent, & intellectu? quòd erit primum mouens immobile; si solus
Deus mouet, & post eum nulli sunt motores secundi? in libello de Mundo,
„ quem tu nefas putas Aristotelis non esse dicere; sic scribitur. Summa quæ
„ eadem Deorum domicilium patet cœlum est appellatum, quod quidem
„ diuinorum corporum habetur plenum; quæ sydera appellare consueui-
mus. Quod & consentit cum ijs quæ 12. Met. text. 50. ita scribuntur. Tra-
„ dita autem sunt quædam à maioribus nostris, & admodum antiquis, ac in
„ fabulæ figura posterioribus relicta, quòd hi dij sint, vniuersamque naturam

continneat;

„ cōtineat;cætera verò fabulosè ad multitudinis persuasionem, & ad legum,
„ ac eius quod conferat opportunitatem iam allata sunt, homini formes
„ namque ac aliorum animalium nonnullis similes eos dicunt, ac alia con-
„ sequentia, & similia his, quæ dicta sunt; quorum si quis ipsum solum pri-
„ mum separando accipiat, quòd Deos arbitrabantur primas substantias esse
„ diuine profectò dictum putat. Dij nominantur, non Deus; cuius actiones, hoc est intellectiones ratione solum distinctas quàm bene Deunculos appelles ipse videris; coacta ista vestra philosophemata apud vos solos regnent. Non igitur ego tibi imposui cum primarum causarum & principiorum nomine, de quibus libris aliquot Metaphysicis agi & tractari scripseras, mentes & intellectus separatos intellexi; sed ipse tibi imposuisti nouis monstris aliena tamen acutie excogitandis, inauditisque chimæris effingendis, vt mendacium quod uis credere, quàm in omnibus mihi non
„ contradicere malle uidereris: quod rursus subdis Patriti Nusquam Aristo-
„ telem dixisse in Deo intellectum idem esse cum intelligentia, seu intellectione; manifeste falsum est, dignusque error; quem scutica emendet; totum textum 36.libri 12.Metaphys.lege homo omnium imperitissime, ex eoque disce Deum in Aristotelis doctrina purissimum iuxta & simplicissimum actum esse, omnis prorsus expertem potentiæ; ex quo ita ratiocinare, si in Deo intellectus differret ab intellectione, esset in eo cōpositio aliqua actus, & potentiæ, non est, non differunt ergo: hæc tu barditate ingenij non percipis, quia homo es Syllabanius, id est, qui nihil in bonis libris intelligis, nisi quod syllabatim scriptum, & notatum est: Non possum secus facere, quin animi tui improbitatem hoc loco referam; ob quam librariorum leuissimas culpas in me transfers; quod & alijs locis facis, vt eo in quo distinguerint, prodistinxerint me scripsisse cauillaris; hæc Patriti conuitia in pueros, & mulierculas exere; non in me, qui non ista modo, sed te etiam totū, quātus quantus es magno fastu aspernor; alterius quoq; leuitatis mihi in præsentia admonendus es: scribis Syrianum me non legisse; ita ne grande tibi miraculum videtur Syrianum à me legi potuisse? sed tibi paucissimo homini, his etiam minora magna videri solent; non tu inutile mancipium tanti vænires, quanti optimi libri mihi constiterunt; quos amissos semel ac iterum emi; nunquam tamen eadem copia; quia non in libris, vt tu, sed in mente scientiam omnem meam collocatam puto; sat habeo librorum, cū Platonem, Aristotelem, Plutarchum, & Ciceronem habeo.

Exercitatio III.



CONTENDEBAM ego libros Metaphysicorum Aristotelis esse, sicque ab eo appellatos, ordinatosque fuisse; tu homo supra omnem fidem ambitiosus valde conquereris nos in primo capite stabiliendo non multi fecisse illa argumēta, quibus tu lib.3. primi tomi tuarum discussionū an hi libri essent Ari-

ſtotelis in dubium verteras; ea talia erant, quòd ſint à Laertio prætermiſſi, quòd nullis locis Ariſtoteles illos appellet; quòd confuſi ſint & rerum tractatione, & librorum cohærentia contra Ariſtotelis morem, quòd minus alpha non ſit eius tractationis ex Philoponi teſtimonio, quòd duo poſtremi ex Beſſarionis Cardinalis authoritate, Ariſtotelis non ſint, quòd ab initio aliud ſit propoſitum, aliud proſecutus fuerit eorum ſcriptor, quæ res non eſſet ex Ariſtotelis conſuetudine, nec methodo: ad horum nullum reſpondere volueram, quoniam vt vere dicis nihili eſſe & tunc putaueram, atque etiam nunc magis puto: morem tamen geram Patriti inani gloriolæ tuæ contentus te, & tua à me ſæpe nominari; Age ſingula maximi illius, & diuiniſſimi ingenij tui argumenta examinemus. Ais tu, non ſunt hi libri Ariſtotelis, quoniam fuerunt à Laertio prætermiſſi; Aio ego, poſſunt eſſe Ariſtotelis, tametſi eos Laertius prætermiſerit; quia ab eo alij quoque Ariſtotelici libri fuerunt prætermiſſi, aut falſo numero, & ordine recenſiti; quod etiam tu fateris qui libro 2. primi tomi tuarum diſcuſſionum ita ſcri-
„ bis; Diogenes Laertius etiamſi octuaginta, & quatuor philoſophorum
„ antiquiſſimorum vitas, ſtudia, & libros ingenti, vt videtur labore & dili-
„ gentia ex authoribus centum vndecim conquiſierit, non tamen omnes Ari
„ ſtotelicos libros aſſecutus eſſe videtur; multi namque ab eo non nominati
„ ſub Ariſtotelis nomine extant; multi etiam ab alijs magni nominis authoribus citantur. Iulius item Scaliger comment. in primum librum Ariſto-
„ telis de Plantis coactus inquit Ariſtoteles eſt aduerſus philoſophos quoſ-
„ dam extra ordinem diſputare, cuiuſmodi commentationes à diſcipulis ex-
„ ceptas eius nomine circumferri videtis; etenim qui Commentarij contra
„ Zenonem & Zenophanem tanquam ab illo conſcripti leguntur, illius qui-
„ dem inexhauſti fontis perennes aquas ſapiunt; alueos tamen aliorum eſſe
„ manifeſtum eſt; ergo cum inter philoſophi veras & legitimas lucubratio-
„ nes referat idem Laertius, facile conuincitur, quos recenſet, non omnes
„ perlegiſſe; nam & pleroſque alios ab eodem enumeratos, à diſcipulis ex-
„ ceptos ex dictantis ore, atque confectos eſſe puto, quemadmodum contrà
„ ex nobiliſſimis aliquot ſunt in ea recenſione præteriti. Hoc igitur primum nihili. Ais ſecundo illos nullis locis Ar. appellauit. Eſto. at ſi libros conſideres, quos Ariſtoteles magno numero compoſuit, paucos admodum ex illis in ſuis qui extant Ariſtoteles appellauit. tu ipſe libro 5. primi tomi conſiteris libros de phyſica auſcultatione, de cœlo, priores, poſterioreſque analyticos ab Ariſtotele nunquam fuiſſe nominatos; at libro 4. ſecure, & indubie ſeptem priores phyſicæ auſcultationis libros pro germanis, & genuinis Ariſtotelis retines; & hoc igitur nihili. Aiebas tertio, quòd con-
„ fuſi ſint & rerum tractationibus & librorum cohærentia contra Ariſtotelis morem; Sed & hoc quoque nihili eſt cum quia tuo iudicio in priori parte tuæ apologiæ pag. 3. non id eſt contra Ariſtotelis morem; ſic enim Ariſtotelem, & Theophraſtum comparas: ſed quis non approbet illorum
„ ſententiam, quos Ciceros ſcripſit multos Theophraſtum Ariſtoteli prætu-
„ liſſe; quando & librorum eius numerum, & argumentorum uarietatem

in

in Theophraſticis maiorem, quàm in Ariſtotelicis cernamus; & eorum qui Theophraſti ſuperſunt, & in methodos & tractationum modos ſpectemus nihil ſuperflui, nihil uanitatis habentes? quod de Ariſtotelicis minime dicere quiſquam poteſt. Tum etiam quia apertum mendacium eſt dicere, ordinem & methodum libris Metaphyſicis deeſſe; oſtenſa enim à me eſt methodus in calce operis mei, qua Metaphyſici libri conſtant: iiſdem præterea certum ordinem aſſignant Alexander & Auerroes; hæc tibi reprehendenda argumentis; & confutanda fuerat, ut de methodo aliquid ſcire uideri poſſes: ſed tu proſyllogiſmis ſimplici; eaque audaciſſima opinionis libertate uteris, ac tibi ſoli plus credi poſtulas ſine ratione, quàm Alexandro, quàm Auerroe, quàm mihi cum certa, & manifeſta ratione. ſic enim ſcribis lib. 8. primi tomi, neque Alexandri, ſeu Auerrois ordo me ſatis perſuadet; nec ſatis ualide Nicolai ſententia redarguitur; Cur ita Patriti? Subticet. ſiccine philoſophandum, & ab optimorum authorum opinione non expoſita cauſa diſcedendum? hæccine Patritiana iura? ais 4. quòd minus alpha non ſit eius tractationis ex Alexandri, ac Philoponi teſtimonio. hui bone uir? id tibi argumento eſt Metaphyſicos libros Ariſtotelis non eſſe? at ego ſecus fuiſſem argumentatus hoc pacto; minus alpha non eſt tractationis Metaphyſicę ſecundum Alexandrum & Philoponum; reliqui igitur illius tractationis libri vere & indubie ex eorum ſaltem ſententia Ariſtotelis ſunt. ais 5. quòd duo poſtemi libri Metaphyſici ex Beſſarionis authoritate non uideãtur Ariſtotelis. ad id Patriti in priori opere reſpondimus, Beſſarionemque virum alioqui doctiſſimum hallucinatum hac in re oſtendimus fuiſſe: ais 6. quòd ab initio aliud ſit propoſitum, aliud proſecutus fuerit eorum ſcriptor, quæ res non eſſet ex Ariſtotelis cõſuetudine nec methodo. probe quidem ſi tui cerebri iudicio ſtemus incompacti penitus, & minime ſoluti, quo ſuſdeque uertis & miſces omnia, magnos in re literaria, & inconſtantiſſimos tumultus ciens; contrà, ſi recte, & ſerio philoſophantibus credatur.

Exercitatio IIII.



INSCITIAE nos Patritius accuſat; quòd vt probaremus Metaphyſicos libros eſſe Ariſtotelis Plutarchi uerba ꝑ Ariſtotelicis à Plutarcho recitatis adduxerimus, ac iratorum inſtar, quorum præ furore officio non bene funguntur oculi ſcribere audet Plutarchum à me lectum nunquam fuiſſe: amabo te Patriti nequitiam depone; & niſi ſtatutum ſit præpoſtere de bonis omnibus iudicare Plutarchi uolumina non ſolum lecta à me, ſed etiam lectitata exiſtima: mitte ſemel ſycophantiam; licuerit tibi iuueni impudentiſſime mẽtiri, nunc alia ætas, alios mores poſtulat: excandeſcentiæ impetus cohibe; & cum ingeniolo tuo dubitatio exoritur Plutarchumne, Auerroem, & Syrianum Theodorus legerit, ſic cogita; Theodorus ea eſt legendi auidita-

te, ut non ueritus rei prætiosissimæ iacturam, temporis scilicet meos nullius pretij, & nullius frugis libros non perlibarit modò, sed etiam legerit; illorum igitur lucubrationes, qui proceres, & velut coryphæi quidam literaturæ iudicantur; multo credibilius fuerit eum perlegisse: Te ne ita magni, & gloriosi nominis virum existimas, vt tua, quàm Plutarchi ob discendum versare maluerim? sed peiora his quoque mala suadet ambitio: ad rem. Plutarchus postquam Alexandri ad Aristotelem epistolam recen-
„ suisset, de suo sinu hæc scribit; Quam illius ambitionem Ar. leniens purgat
„ se de sermonibus illis, tamquam editis, & non editis: Ain igitur abcedarie, nullam à Plutarcho recitatam esse epistolam Aristotelis ad Alexandrum? nihil illis vocibus superscriptum est, non salutationis verba initio, & fine addita, quæ ad epistolæ compositionem necessario requiruntur; ob id credo te clamitare nullas in toto Plutarcho Aristotelis ad Alexandrum literas offendi; tuus etenim hic semper fuit mos, estque & erit voculas spectare, quod quidem grammatistæ solent; rem ipsam nunquam considerare: per-
„ git Plutarchus: re vera enim tractatio metaphysica ad doctrinam, & disci-
„ plinam nihil habens vtilitatis specimen eruditis ab initio scripta est. Hæc dicis tu tantum continere iudicium Plutarchi de Metaphysica tractatione; esto, at non Plutarchi iudicium continent, quòd ij acromatici libri, de quibus Alexander per epistolam conquerebatur ad Metaphysicos referantur: id enim tanquam certum, & ratum statuitur, vt ostendit causalis illa dictio [enim] sed quòd ad doctrinam & disciplinam nihil habeant vtilitatis; secus si intelligas; non ego, sed tu Plutarcho imponis; neque vero te eò conuertas Plutarchum Patritiana quadam audacia velut certum id posuisse, quod maxime incertum erat; cum quia te minime decet temeritatis illũ incusare; quem nuper Aristoteli anteponebas; tum quia certum signum à Plutarcho datur sui minime fallacis de hac re iudicij verbis illis ab initio scripta est. Non enim sano cuiquam probabile fuerit, cui tempus certo uotum est, quo libri aliqui scripti fuerunt, eidem illorum appellationem non etiam certo notam fuisse; quia titulus velut facem & lumen compositionibus præfert, quo cum carent, incertitudinis & obscuritatis maximæ occasionem præbent: at hoc saltem extorquebo à te Patritius inquiet nullam Aristotelis apud Plutarchum extare disertam de Metaphysicis libris mentionem; imo extat Patriti, nisi tibi cui etiam in apertissima luce caligare solent oculi, alijs saltem te oculationibus. Nam acromaticum, nomen est generale, & commune, quo obscuriores libri, & secretiores doctrinæ significantur; huius generis aliquos Aristotele etiamdum viuo perspicuum est editos fuisse: generali autem illa appellatione non potuerunt aut debuerunt intelligi nisi illi, qui maxime sunt acroamatici; tales sunt omnium iudicio metaphysici; de Metaphysicorum igitur editione vltro citroque ab Alexandro, & ab Aristotele epistolæ conscriptæ fuerunt: quod cum Plutarchus ante nos certum iudicarit; illius nos præiudicium secuti sumus; Plutarchumq; imitati, illud in Alexandri, & Aristotelis literis diserte legimus, quod tu legere nunquam potuisti, quia non in corticem, vt tu, sed in me-

dullam ipsam inspeximus: Agis autem more tuo Francisce cum negas à Themistio Alexandri, & Aristotelis epistolas referri, vi magna contendens Simplicij illud, non Themistij proœmium esse; quid hoc quæso ad bene, & solide philosophandum? egregia verò illa tua ratio: Themistius initio paraphraseos in libros de cœlo ait Aristotelis intentionem esse tractare de Mundo; in eo verò proœmio scribitur Aristotelem tractare de quinta substantia, & quatuor elementis, quæ discrepantia clare ostendit illud proœmium Themistij non esse: ita ne existimas tu Mundum aliud esse à quinta substantia, & quatuor elementis? at non ita Aristoteles in libello de Mundo ad Alexandrum. vbi Mundus inquit est coagmentatio ex cœlo, terra, & reliquis rebus, quarum natura ille continetur; quæ sunt reliquæ illæ res, nisi tria præter terram elementa? subnectis. Esse Simplicij non Themistij apparet, quia hic nullas præfationes libris suis apposuit, ille omnibus præfixit. Te ne minima ista semper torquebunt Patriti? te leuissima quæque consectantem egregie philosophaturum speremus? Ecquæ extant Themistij paraphrases ab alicuius scientiæ primo initio auspicantes illis exceptis quas in libros de Physico auditu composuit, in quarum vestibulo æque illum, vt in his præfari oportuerit? iterum subdis illud proœmium in græco Simplicij exemplari esse, in Themistij non esse: at viros habeo summos, quibus quàm tibi maiorem fidem habeo; & inter alios Hermolaum Barbarum, in quo omnia, veluti singula, summa reperiebantur, qui in græco Themistij exemplari proœmium illud legerunt, ac tamquam Themistij interpretati sunt.

Exercitatio V.



NEGAT Patritius non alio se ad suam de Metaphysicis libris opinionem probandam argumento vti, quàm illorum maxima obscuritate, nosque technarum structorem, & sine rubore mendacem vocat, qui id illi imposuerimus. Aristotelis iudicio in secundo Met. tex. 2. veritatis intelligendæ difficultas, vel à nobis est, vel à rebus ipsis; tu cum illi libri confusissimi tibi viderentur, illico Aristoteles esse dubitauisti; modoque alio ab eo, quo sunt disponendos, & collocandos censuisti: ordinem vt nos si intellexisses, ista ne somniasses quidem, nedum per amentiam excogitauisses; non enim te adhuc perditę mentis hominem arbitramur, cui mendacia per nequitiam probentur: nostra igitur modestiæ fuit, quòd diximus non te ideo falsum credidisse, quia uel improbus sis, vel stolidus omnino, & plumbeus; sed hallucinatum ob illorum librorum obscuritatem: sunt enim omnia illa tua simul congesta argumenta nimis subtilia, hoc est exilia, & elumbia; illo excepto, quo confusionis chaos, & librorum nullam connexionem in ijs criminaris; quod ideo ponderis, & momenti alicuius est, quia non Patritij est; sed multorum Peripateticorum; qui tamen non vt tu, aut sicut Nicolaus &

laus & Plutarchus Aristotelem damnarunt; sed alij alio ordine excogita-
to, vt potuerunt excusare conati sunt: Tu cum gratias agere nobis debuis-
ses; impudentissima in nos conuitia, & maledicta euomuisti; vt in lustris
semper egisse viderere; cum scortisque sæpissime iurgauisse; longe etiam à
modestia Philosophorum abes, cũ id Nicolao, & Plutarcho tribuis, quod
non nisi maxime temerarijs calumniatoribus fuisset tribuendum eos scili-
„ cet Aristotelis ordinem in libris metaphysicis acriter reprehendisse, atque
„ interim reticuisse eos non sic ab Aristotele appellatos, & dispositos fuisse;
quod tamen mirifice Aristotelem excusare, & ab iniuria tueri posse vide-
batur: agis etiam perum moderate cum Nicolaum vis Theophrasti primã
philosophiam (neque enim aliud scientiæ genus eo Theophrasti libello
vllus sanæ mentis dixerit) metaphysica nominauisse; cum tamen appella-
tionem eam neque Aristotelis primæ philosophiæ, neque suis de ea re libris
conuenire iudicaret; cur enim sua & Aristotelis apte, Theophrasti inepte
appellarit? quòd si ea inscriptio in Theophrasti libellum scite, & concinne
quadrat, cur non apte etiã in Aristotelis & Nicolai libros de eadem, qua ille
cõpositos conueniat? illud demo sapiens æquo animo tulerit non libuisse
„ Nicolao in alium culpam reijcere confusionis horum librorum, quia pro
„ comperto habuerit eam Aristotelicam esse, non alterius cuiusquam.
Quæ te dementia tenet, quis furor agit Patriti? cuius afflatu numinis hoc
putas Nicolao innotescere potuisse? cur probabile illi uisum non fuerit li-
bros carentes titulo, uel cum falso titulo inscriptos ab alio quàm ab autho-
re præpostere ordinatos esse? Sed considera ò bone, quam tu tecum ipse
pugnes; Nicolaus pro comperto habuit Metaphysicorum confusionem
Aristotelis esse, non alterius cuiusquam; eosque breuiario restrinxit, eo-
dem collocatos ordine, quo passim leguntur; (contra enim si fecisset; non
id Auerroes conticuisset) non ergo tibi per impudentiam librorum Meta-
physicorum dispositio mutanda fuerat; non item negandum, aut ambi-
gendum ullo modo eos Aristotelis esse: illud non minus absurdum; Plu-
tarchum non reprehendisse ordinem librorum Metaphysicorum: Ecquæ
scientia ò bone inutilis censeri à Plutarcho potuit, quæ constaret, causa-
rum inuestigatione, ordinateque & cum methodo traderetur? adeo ne
ab omni contemplatione Plutarchum ab horruisse? Cur igitur tam multa,
tam exquisite de veterum Philosophorum placitis? Tu Plutarchi studio-
sus Patriti? addis, ne parum in Plutarchum, & Nicolaum iniuriarum ui-
„ dearis contulisse. Quomodo hi fauerunt Aristotelis doctrinæ; quam coar-
„ guerunt, & a qua alienas quasdam, & proprias sunt secuti, & scriptis do-
„ cuerunt? hui bone dialectice tu non faues Platonis doctrinæ (quando Pla-
tonicus per arrogantiam videri vis) quia Platonis aliqua te non probare
dicis? tu negas Aristoteli Plutarchum fauisse, & Polyhistorem agis? quot
is ab Aristotelis fontibus petitis sententijs lucubrationes aperiit suas? in li-
bro de Stoicis contrarietatibus contra Chrysippum disputans; Quis, inquit
„ hoc impudentior in sermonibus fuit, qui duobus optimis Philosophis
„ Platoni; & Aristoteli crimini obiecit, alteri quod omnem uirtutem tollit,

„ non ſolum honeſtum bonum relinquendo; alteri quòd voluptate fine „ exiſtente, non omnem virtutem, excepta iuſtitia ſaluari putat? mirabi„ lis enim licentia eſt de ijsdem rebus differentem, ea, quæ ipſe ponit crimi„ nans Ariſtotelem, rurſus tollere accuſantem Platonem; Ergo ne optimo Philoſopho, & quem criminari licen tia & impudentia ſit, Plutarchus non fauit? equidem credo otium te & animi moleſtiam fallentem pleraque, vt in mentem uenerunt, ſub acumen calami ſubeuntia, chartæ ſtatim illiuiſſe; quòd me deſpiceres rude donatus Athleta; nulliusque pretij hominem putares.

Exercitatio VI.

PROVOCAT Patritius Plutarchum, rationemque ab eo exquirit, cur de Metaphyſicorum editione Alexandrum referat conquæſtum eſſe: cũ i lius Regis quærela accommodatius ad libellum de Mundo referri poſſe uideatur, quia & Alexandro ſit inſcriptus, ac dedicatus, & regia methodo plana, & facili ſcriptus, resque cõtineat regio palatui, atque vſui accommodatiores. Pro Plutarcho reſpondeo Patriti primum non debere illum aliam tibi huius rei rationem reddere, quàm quòd ſic ab alijs acceperit antiquioribus Philoſophis, quod colligo ex certo loquendi modo, quo ab eo acroamaticæ doctrinæ ad Metaphyſica referuntur; tibique aut alijs non licere friuolis; leuiſſimis, nullis rationibus à maiorum noſtrorum traditione, ſententiaque diſcedere: Simplicius non idem cum Plutarcho retulit. Eſto; ſed in hiſtoriarum cognitione maior Plutarcho, quàm Simplicio fides adhibenda eſt; fuit etiam Plutarchus Simplicio antiquior; mitto quòd ex noſtra interpretatione non diuerſa ſunt ita Metaphyſica à Phyſicis, vt idem de utriſque ſcribi non potuerit: reſpondere etiam Plutarchus poteſt, ideo ſe Alexandri quærelam ad Methaphyſica retuliſſe; quia hæc maxime ſint acroamatica; quid tu ad hoc? quæſo te Patriti, barditatem tuam etiam atque etiam conſidera: Tu ſic in Plutarchum & Simplicium argumetaris De acroamaticorum editio„ ne conquæſtus eſt Alexander, plurimi fuerunt libri Ariſtotelis acroama„ tici præter Phyſica & Metaphyſica, ad alios igitur libros ea regis quærela „ referri potuit. Viciſſim ego pro Plutarcho & Simplicio ita in te. de acroamaticorum editione conqueſtus eſt Alexander, libellus de Mundo neque eſt, neque cogitari poteſt acroamaticus, non igitur ad illum referri ualet „ Alexandri quærela: quod vero ſcribis debuiſſe me oſtendere Ariſtotelem „ hanc inſcriptionem libris illis præfixiſſe, antequàm tuam ſententiam dam„ narem: primum nego me id debuiſſe; quando inſcriptiones appellationesque librorum non alia ratione probari ſoleant; quàm recepta conſuetudine, traditioneque maiorũ: ſecus enim omnia inuertentur, atque in dubium reuocabuntur non profani modo, ſed ſacri etiam libri, tu igitur debebas non nænijs à Lallo Deo hauſtis, ſed ualidis & firmis argumentis contrarium probare; mihi in eo, quod in ſcholis receptum eſt, ſtandum fuit,

donec

donec oppositum à Patritio, vel ab alio bene, & fortitur demonstraretur: ostendi tamen optimis coniecturis Metaphysicos libros & Aristotelis esse, & sic ab eo appellatos fuisse, ordinemque & methodum optimam habere; quòd sint Aristotelis, sicque ab Aristotele appellati hæc mea sunt argumenta: epistola Aristotelis, Plutarchi; Alexandri, Simplicij, Themistij, Philoponi testimonia, à quibus passim Metaphysica nominantur, vt à Philopono nó in commentarijs modo quos in eos libros composuit, sed cóm. etiam decimo & vndecimo in primum librum de anima; à Simplicio non raro præfatione & com. in libros de Physico auditu; à Themistio in epitome Metaphysicorum, cuius sæpe Auerroes meminit; His Magnum quoque Syrianum addo, Auerroem, & reliquos, qui deinceps secuti sunt Peripateticos: omnibus his antiquiorem Nicolaum Damascenum non obscure iudico opinioni nostræ suffragari; quòd Theophrasti libellum Metaphysica appellarit, quem certum est Aristotelicis Metaphysicis respondere, quòd horum librorum confusionem in Aristotelem reiecerit, non in illum, qui Patritij sententia inscriptionem immutauit: Tu uerò Logicæ ignorationem nobis obijcis, quasi ex singulari enunciatione uniuersalem colligamus ita argumentantes. Nicolaus Damascenus eadem appellatione illi, quæ est horum librorum, Theophrasti quoque Metaphysica nominauit; non ergo inscriptio Metaphysicorum temerè, & casu inuenta; sed Peripateticis Philosophis vulgatissima, & vsitatissima, sed ostendis te nimis imperitum. primum quia nescis, quod sapientissimus aliquis censuit; id ita probabile uideri, ac si idem plurimi alij censuissent, ex præcepto topico: Deinde quia non consideras præstantissimos Philosophos, qualis fuit Nicolaos Damascenus numquam solos quicquam sentire, quia cuncti propriorum dogmatum sectatores plurimos habent; tertium, quia non vides hanc uocem Metaphysica à Nicolao Damasceno usurpatam fuisse, ut in scholis ea tempestate tritam & notam maxime; nam si illius propria, fuisset, nouæ uocis rationem reddidisset, quam Auerroes scripto nobis reliquisset: mirum autem est, quam callide tu malitiosus anguis elabare sic
» scribens. Hæc inscriptio Nicolai ætate nondum forsan apparuerat; & post Nicolaum forsan inuenta. Cui nos. forsan somnias Patriti, & somniorum tuorum spectra, & monstra pro ualidissimis argumentis uenditas; vt per te quicumque in literarum studijs uersantur, ambiguitatum, & dubitationum pelago semper iactentur; nihilque de libris ullis, & librorum authoribus credere, & affirmare audeant. Quod ad Metaphysicorum ordinem attinet, is quis esset, in calce prioris operis ostendimus; sed tu dialecticæ ignarissimus, nostram de methodo orationem intelligere non potuisti; pro refutationeque more tuo petulantissime nos cótumelijs, & maledictis onerauisti; quod peccatum à Deo optimo maximo tibi remitti postulo; liceatque Patritio pro me mihi & scriptis meis quantum lubet, imponere, modo se eundem in antiquitatem non præbeat: Alexandro.n. Aphrodisieo apertissime imponit, ita scribens; Alexander omnes Metaphysicos libros
» inordinatos esse sensit. quoniam id falsissimum est, cum in solo libro duo-

decimo

decimo ordinem Alexander desideret non in alijs: diserta Alexandri uerba
» hæc sunt. Confuse ad modum, & indistincte, nullo ordine, nulla serie seruata, quæ in hoc libro traduntur, Ar. inducit. de reliquis libris obscuritatem quidem prædicat, at non confusionem; sic enim subnectit idque ob nihil aliud, quàm ob obscuritatem, quam ab initio uidetur affectasse: illud in Patritio maioris etiam impudentiæ; Aristotelis se se correctorem, & censorem constituere; tu ne homuncio, & grammatistis cunctis imperitior ante tribunal tuum Aristotelem omnium, quos tulerunt sæcula doctissimum tanquam reum aliquem sisti iubes? te ergo non inficiari Metaphysicos libros sic ab Aristotele ipso iunctos esse, & collocatos; sic enim scribis; neq; verò tertium illud, ab Aristotele eos libros fuisse ita iunctos simul numquam in controuersia fuit nec apud Damascenum, nec apud nos. & dicere tamen audere secus disponendos & ordinãdos esse? debereq; libros 1.2.10.11.12.& 13. sibi continuato ordine succedere? subnectis constat ex Damasceno, ex Afrodisieo, ex nobis, ex re ipsa Metaphysicos libros confusos esse, & nullo ordine aut methodo fuisse conscriptos; ut conueniunt hæc cum ijs quæ in 8. libro primi tomi tuarum discussionum ita scribis? neque enim Alexandri ordo me satis persuadet, nec satis ualide Nicolai sententia redarguitur, ut potuit Alexander putare eosdem libros ordinatos esse, & non ordinatos? hos geryones non vides præ stupiditate, non curas præ audacia.

Exercitatio VII.



PER alia ignorantiæ tuę senticeta inambulemus; ac primum nouo tibi quiritatori, qui præter exclamationũ flatus eruditionis uestigium nullum habes explicare me oportet sensum verborum illorum quorum vtrumq; est falsum; quando grammatice parum, aut nihil intelligis: nulla mihi in ijs de argumentis oratio de quibus mox subdebam & argumenta, quibus probantur, item falsa & captiosa: sed de conclusionibus ipsis tuis, quę erant non Alexandrum Aphrodisieum, sed Aegeum illorum in Metaphysica cõmentariorum authorem esse: illud primum authoritate Auerrois probabas, a quo in prœmio super duodecimum lib. Met. multa ex Alexandro Aphrodisieo recitantur, quæ vulgatis Aphrodisiei in Metaphysica com-
» mentarijs desunt; quod ego telum in te sic retorquebam. At is saltem ex Auerrois dicto alia in hos libros commentaria composuit. Auerrois uerba
» hęc sunt. Dico quod inueni in libris huius scientię, nisi in hoc 12. libro ex-
» positionem Alexandri, neque aliorum posteriorum; & in hoc libro non nisi super duas ferè partes trium partium ipsius libris. quorum prima facie tu factus audacior sic ais ergo Auerrois dicto si stemus non probasti Alexãdrum Aphrodisieum alia commentaria in eosdem libros composuis-

„ se; præterquam in duodecimum, subdis præterea; At si dicas Alexander
„ quidem composuit, sed ad manus Auerrois non peruenere; id primum de
„ sinu tuo dicis, nulla vel Auerrois, vel alius cuiusquam authoritate vteris.
Imò de sinu meo non dico Patriti, sed de Auerrois authoritate eo ipso loco à te citato; quem tu legisti quidem, & intellexisti, sed per improbitatem
„ conticuisti; is sic habet. Mihi autem visum est melius esse me exponere in
„ singulo capite id quod dixit Alexander clariori, & breuiori oratione, quã
„ potero; etsi quid videbitur in Themistio superfluum, vel dubium, de illo
„ mentionem faciemus; idemque agemus de eo quod videbitur nobis super-
„ fluum, & dubium; dicamus ergo quòd Alexander primò incipit narrare, ꝙ
„ id quod Arist. inquit in hoc lib. 12. qui est finis huius artis est, quid necessa-
„ rium; nam inter alia, quæ dicta sunt in hac scientia animaduerti; aliqua ue-
„ rò habent solutiones illarum dubitationum, de quibus in duobus libris
„ huic subsequentibus sermonem facit, in quibusdam verò eorum tractauit
„ de rebus, quæ insunt ipsi enti, vt est ens, & de principijs substantiæ primæ;
„ quæ est maxime vera; & hoc quia probabit reperiri substantiam ita se ha-
„ bentem; & quid sit talis substantia; & notificatio huius substantiæ est finis
„ intentus in hac arte; quoniam in duobus libris, qui hunc sequuntur nihil
„ ex primario præsupposito exponet; neque quicquam ex propria opinione
„ verificabit; sed in eis continetur contradictio dictorum ponentium prin-
„ cipia entium esse ideas & numeros inquit. de his autem iam loquutus est
„ in 2. libro huius operis; at nunc perfecit sermonem hac de re in his duobus
„ inquit. ratio autem qua probatur hunc librum esse finem eorũ, quæ in hac
„ scientia tractãtur, est id, quod dixit in principio libri tertij, & alibi; hæc in-
„ quam est summa eorum, quæ præfatus est Alexander in hoc loco. Hæc omnia fideliter ex Auerroe. sit ita Patriti, vt nulla Alexander in Metaphysicos libros commentaria scripserit, nisi in duodecimum quamquam id vix, ac ne vix quidem concedo, quòd nunquam Alexander in more habuerit, ex ijs quæ illius leguntur, selectum ex reliquo opere librum aliquem interpretari; & quòd credibile non sit, cum is in plerisque Aristotelicis libris declarandis laboris, & operæ multum sumpserit, hos alijs obscuriores, & inuolutiores prætermisse; at huc nostra omnis tendebat oratio, vt ex sententia Alexandri Metaphysicos libros Aristotelis esse demonstraremus; an non igitur hoc ipso Auerrois loco, secundus, tertius, duodecimus, tertiusdecimus, & quartusdecimus Metaphysicus liber citantur ab Aphrodiseo? quo tu præstigiator euanuisse reliquos putas? eo quod sequitur, dialecticę te ignarum omnino prodis: quę si dux & magistra est ad scientias quascumq; percipiendas; quos tu homines speras Aristotele relicto se ad tui sectam collaturos, vt ex tuę doctrinę flosculis scientiarum coronam texant? ais
„ enim: Licere ex puris negationibus negationem inferre. Qua figura ex tribus Patriti? diserta oratio est Aristotelis in primo priorum analyticorum
„ cap. 31. Ergo ex prędictis liquet, quòd non solum per hanc viam fieri syl-
„ logismos omnes possibile est; sed etiam, quòd per aliã est impossibile: omnis
„ enim syllogismus, ꝙ per aliquam prędictarum figurarũ fiat, certum est; has

autem

,, autem per alia constitui, quàm per ea, quę vel vnumquodque sequuntur,
,, vel quæ sequitur vnumquodque, non contingit; ex his enim propositio-
,, nis,& medij sumptio est;quare nec syllogismum per alia fieri possibile est.
At figuras, & figurarum formas omnes percurre; nihil reperies, quod ex
solis negantibus constet: pergamus. Aio ego argumento esse commenta-
ria ea Alexandri Aphrodisiei esse; quia plurimis locis habeat, quæ ex illis à
Syriano recitantur; ais tu maiori argumento esse, quòd Alexandri Aphro-
disiei non sint,quia aliqua non habeat à Syriano recitata; cum tamen con-
cedas nō pauca ijs deesse; vter ergo nostrum logicoteros est?vter audacior,
& obstinatior? vter nequior? tibi quidem inter Logicos primatum sponte,
& lubens concedam, Chrysipo melius quæstiones omnes dubias, conte-
ctas,aceruatas,corneas,nullas,mentientes, negantes,metentes, crocodoli-
tas explicare posse ingenti clamore,& applausu vociferabor;modo ne gra-
uate feras in tanta gloriæ sublimitate summæ quoque audaciæ, sycophan-
tiæ, temeritatis,& improbitatis insignia gestare;quàm nequiter venerandā
vetustatem accipias, vide: ob vnum locum in quo illorum in Metaphysica
commentariorum auctor, de quibus disputamus Sosigenis cuiusdam præ-
ceptoris sui meminit; & multos alios expungis quasi à sciolo interiectos;&
Philoponum præstantem Philosophum mendacij accusas; cum ego nihil
expungam,nec Philoponum damnem, nec vt tu temerarij quicquam au-
deam; quis te Deus monuit non illum potius locum à sciolo interiectum,
in quo Sosigenis mentio fit,quàm alios, in quibus auctor seipsum Alexan-
drum Aphrodisieum nominat? quamquam non est, cur me contentione
hac magis fatigem; cum tu inuitus causa cedas, vltroque manum veritati
,, des indirecta hac,& oliqua confessione in nos insiliens. Sed si tibi conces-
,, serimus commentaria hæc Aphrodisiei esse, ecquid nobis erit premij? tibi
,, certe nihil; quando ex eis non probas quod putasti; hæc commentaria
,, Aphrodisiei sunt; ergo Metaphysici libri Aristotelis sunt; ergo Aristoteles
,, Metaphysicorum nomen eis imposuit. Imò vero probo; & quia Alexan-
der Aphrodisieus hos libros tanquam Aristotelis est interpretatus, Alexan-
droque quam tibi magis credimus:de quo sic Auerr. comm.14. in 3.lib. de
,, anima;Alexander,vt credimus, & vere scimus,fuit vnus de bonis exposito-
,, ribus Aristotelis; & propter famositatem istius viri apud modernos nullus
,, est sciens, & perfectus apud eos,nisi qui est Alexandręus; & quia idem ab
appellatione hac haudquaquam abhorruit; sed ea velut scholis Peripate-
ticorum minime noua vsus est; quam vterem consuetudinem studiosi om-
nes debent,amplecti, profectamque ab Aristotele putare, donec firmis, &
validis argumentis contrarium probatum non fuerit.

Exercitatio

Exercitatio VIII.



OBIECTA à me tibi fuerat nimis audax licentia plurima ex Metaphysicis libris adimendi; quam redargutionem tu sic excutis; mendacem me, & calumniatorem esse; teque aliud ex ijs libris non ademisse, quàm integrum librum minus alpha; & particulam illam quinti libri, & uniuersaliter sic prima. & de ente uti ens, huius est contemplari; & quid est, & quę insunt uniuersaliter uti ens: nolo in re perspicua longus esse; ipsissima uerba tua apponam ex lib. 8. primi tomi pag. *66.* secundum Venetam editionem, quę perfecta est anno 1571. ex quibus nostrum uter mētiatur iudicare eruditi possint. Plerique omnes qui hanc rem scriptis tractarunt non plures, quàm quatuor librorum Aristotelicorum ordines constituerunt; Logicos scilicet, Physicos, Metaphysicos, & Morales; qui uerò libris his non continerentur, extra ordinem esse sunt arbitrati; nos uerò alios ordines constituimus, dicimusque octo eorum librorum ordines seu genera esse omnia; Logicum uidelicet, de Ente, de Sapientia, Mathematicum, Naturale, Medicum, morale, artificiale; eaque genera octo ita se se ordine consequi, ut modo sunt à nobis nominata; Logicique ordinis esse librum Perihermenias; Analytica de Syllogismo, demonstratiua Analytica, Topica, Elenchos; ordinis verò de ente esse eum, qui est tertius Metaphysicorum, quartus Cathegoriæ, quintus, sextus, septimus, octauus, nonus, ad sapientiam pertinere libros primum Metaphysices, idest maius alpha, secundum, decimum undecimum, duodecimum, & tertiumdecimum; eosque qui contra Zenophanem, & Zenonem, & Gorgiam inscribuntur: rursus in pag. 70. ita scribis, Entis scientiam comprehensam, & tractatam ab Aristotele dicimus libris 3.4.5.6.7.8. & 9. & præterea libro Prædicamentorum; sed inter hanc tractationem multa, quæ ad Logicam pertinent eum inseruisse, asserimus, ut libri 4. cap. 7. & 8. libri 6. cap. 4.5.10.11.12.13.15.17. libri item 7. c. 6. & lib. 8. c. 12. & libri 9. cap. 6.10.11.12. quæ capita omnia proculdubio Logici sunt generis, etiam si his libris confuse interposita sint; quam ob causam proculdubio Nicolaus non dubitauit hos libros confusos appellare, debereque eorum doctrinam meliori ordine doceri asseruit, quos nos item non dubitamus in tres scientias distinguere: nam capita modo citata Logica sine ullo dubio sunt; reliqua eorum librorum ad entis scientiam pertinent: sex verò reliquis libris ad sapientiam referuntur. hæc à te scripta esse negare non potes Patriti: an non hoc est plurima loca, & libros integros ex Metaphysicis pro tua uoluntate adimere? at inquiet Patritius, Aristotelem de industria trium scientiarum permixtione confusos illos libros reliquisse, & in unum corpus coagmentasse tanquam vnius & eiusdem argumenti. hui bone censor etiam bardum, stolidum, ineptum Aristotelem facis: rursus eo si se recipiat ab alio quopiam libros Metaphysicos sine ratione iunctos esse; illum iterum urgebo: primum id

pugnare cum eo, quod ante statutum est: deinde eundem adimere qui etiam male iunctos disiungit, dissoluitque: hac reprehensionis occasione, quòd Patritius loca plurima ex Metaphysicis aut expunxerit, aut ademerit, communi Peripateticorum ab extremis usque temporibus consensu recepta; respondet is Alerandruu, Philoponum, Auenrois, & Latinos deinceps sequutos Peripateticos communem Peripateticorum consensum non efficere; imò se certo scire scholasticos scriptores minime fuisse Peripateticos. quæso te Patriti à quibus tu Peripateticis in re ambigua uota censes exquiri oportere? ab illis ne, quorum nihil extat; an ab alijs quorum in Aristotelem lucubrationes inueniuntur? at nos omnium testimonia proferimus, quorum aliquid in Aristotelem editum est; tu ab orco usque suffragatores Peripateticos quæris; de quibus præter nomen uix scire possumus aliud; missam semel fac si sapis putridam istam tuam, effectam, & rancidam antiquitatem à tineis & muribus corrosam, & præ morbo inertissimam; credereque incipe Latinis quàm Græculis non minus ingenij, & iudicij fuisse; mentis acumine & ubertate; differendi subtilitate, incredibili ui, atque copia argumentorum robore & neruis orationis certum est hos ab illis uictos, & superatos esse; dictionis Luxu, lasciuientis eloquentiæ cincinnis troporum lusibus Græci, & veteres aliqui Latini recentioribus scholasticis præstiterunt, non sapientia.

Exercitatio IX.



IS non memorari alium Sosigenem, quàm illum, qui fuit sub Iulio Cæsare: num Philoponus non alium memorat? eum scilicet qui Alexandri Aphrodisiei magister fuit. Respondes non de Alexandri Aphrodisiei, sed de Alexandri Aegei præceptore Philoponum loquutum esse; qui idem fuit, qui ille, cuius censura sub Iulio Cæsare annus correctus fuit. at Philoponus Alexandrum illum per antonomosiam interpretem appellat; quod Aphrodisiei proprium fuit, non Aegei; iterum defendis te satis esse communem hunc titulum vtrique Alexãdro accommodare, quàm Philopono attribuere, quod nequaquam dicit; & tempora confundere, quandoquidem & Aegeus Aristotelem sit interpretatus. hoc igitur profecimus Patriti nostra in te & Aphricana monstra tua disputatione; vt in re saltem aliqua sententiam mutares; teque impudentiæ tuæ modo aliquo puderet; secus enim nunc, quàm olim scribis lib. 3. primi tomi tuarum discussionum, Philoponum uocas hominem minime accuratum, quòd Aprodisieum Alexandrum pro Aegeo nominauerit; nunc ut illum excuses, nouam & inuictam insaniam pronuncias, utrumque Alexandrum interpretis cognomentum habuisse, ut solita illa tua arrogantissima audacia omnia misceas non libros modo, & librorum auctores; sed illorum etiam nomina, cognomina, professionem: quod scribis deinde ad Proclum Platonicum Lycium

alium

alium quendam Proculum me ex meo ſinu confictum produxiſſe manifeſtum & apertum mendacium eſt: non ego ſolus, ſed plerique etiam alij quibus te doctrina & eruditione cedere oportet & Proclum, & Proculum, & vtrumque Platonicum nominant; eundem ne Philoſophum an alium intelligant ea nominis varietate non magnopere laboro; hoc habeo ſatis, non male me feciſſe, qui & Procli, & Proculi teſtimonium adduxerim. Marſilium Ficinum ſcio lib. 9. epiſtolarum inter Proclum & Proculum nullam albam lineam ſignare; atque eundem uirum utroque nomine ſignificare; at illud quoque ſcio duos Suidam proclos facere præter lycium illum, cuius aliqua in Platonem leguntur; & contra quem Philoponus ęternitatis refragator ſcripſit; Vnum è Sicilia Malleotem Patria, qui ſcripſit in Sophiſmata Diogenis, & contra Epicurum; alterum cognomento Proculeium è Laodicea Syriæ, qui ſcripſit Theologicum in Pandoræ fabulam Heſiodi, in aurea carmina, iſagogem in Arithmeticam Nicomachi; & alia quædam, huius putant aliqui commentaria eſſe ea in Euclidem & Ptolemeum; quæ à te & alijs Proclo Lycio attribuuntur: præter hos tres quartum Proclum Naueratitam Philoſtratus commemorat, quem ſe dicit pręceptorem habuiſſe; Athenisque cum honore docuiſſe. Hæc omnia ante me obſeruauit Raphael Volaterranus lib. 18. Anthropologiæ. quam igitur culpam commerui, ſi ut omnium opinioni ſatisfacerem, loco, quo hiſtorici partes non ſuſtinebam, & Proclum, tamquam Suidæ Proculeium nominaui? cum ſcirem in libris utrique attributis, quę ego dixi teſtimonia extare? Hic mos tuus Patriti, minimas quasque fibras quærere, quas dilanies; quem in oculis trabem geſtas non uidere, in aliorum oculos Argo acutiorem exiſtere, ut feſtucam uidere poſſis; negas te ſcripſiſſe non extitiſſe niſi duos Alexādros Ariſtotelis interpretes, omninoq; uideri uis tibi ipſi te nō contradixiſſe; at ò bone, denuo nunc conſidera tuā ipſius orationē in lib. 3. primi tomi pag. 21. ſecundum Venetā editionem; ea talis eſt. nullius enim
» alterius Alexandri, quàm Aegei, qui Neronis præceptor fuit: & Aphrodiſiei,
» qui Antonini tempore floruit mentionem factam reperi inter eos, qui Ari-
» ſtotelis libros interpretationibus explicarunt; an id non tantidem eſt, ac ſcribere non niſi duos Alexandros Ariſtotelis interpretes extitiſſe? quod ad alios tuos tertios, quartos, & quintos Alexādros attinet, quos præter Aegeū & Aphrodiſieum recantata palinodia fuiſſe, deinde ſcripſiſti; non nobis tantum nunc otij ſuppetit; vt eam totam hiſtoriam examinare poſſimus; alius dabitur ad id agēdum commodior, & opportunior locus; niſi te penituerit deſipuiſſe; ſat fuerit modo te tibi ipſi contradicentem oſtendiſſe: ac non dubito quicquid tu audaciſſimus homo iniuriarum in nos effutias: vt meretricum exemplo rationem à te ſtare imperitæ vicinię ſuadeas; quin magnopere erubueris, te tantum hominem ab homuncione euictum contradictionis fuiſſe; at perdoluerat, ob id ad conuicia; tanto maior vir es.

Exercitatio X.



VOD Metaphysici libri Aristotelis sint, & pro Aristotelicis semper habiti, vsus præterea sum Syriani, Themistij, Philoponi, Auicennæ, Auerrois, Diui Thomæ, & Bessarionis testimonijs: de Syriano non dubitas: nugaris tamen, & nos turpissime calumniaris, vt quando Logicè non potuisti; ambubaiarum dicacitate vicisse videare: non permittam tamen, vt tuis maledictis respondendo lectoris operam abutar; tua sit ista scurrilitas, & contumeliarum inanitas; mei moderati semper mores erunt: Themistij testimonium non putaui operæprecium tibi adducere, quia credidi te Auerrois commentaria legisse, in quibus Themistij in Metaphysicos libros interpretationes frequenter adducuntur. quæ de Philopono scribis meræ quisquiliæ sunt; sic Philoponus Metaphysica inscripta est tra-
» ctatio hęc, non secundum habitum rei, sed secundum ordinem lectionis:
tu in Philoponum sic inscripta est, inquit; at non id ab Aristotele, inquit, imò fere apertè ait, non ab Aristotele, dum ait, non ex habitu rei; quoniam Aristoteles omnes libros suos ex re subiecta inscripsit; quam rem ex inscri-
» ptionibus Aristotelicis, non alienis, inductione quisque colligere potest;
» hæc non ex habitu rei; ergo Aristotelis non est. Num enim non putas, si
is ab alio, quàm ab Aristotele, hos libros inscriptos esse credidisset; quòd non id palàm dixisset? cum præsertim nouo & insolito titulo secundum te appellatos censuerit? secundum ordinem scilicet lectionis, non secundũ habitum rei? non tamen verum est, Aristotelem omnes suos libros ex re subiecta inscripsisse; vt tu solita illa tua facilitate, ne dicã temeritate enuncias; non enim exoterici, non encyclij libri, non Nerinthus, nõ Menexenus, non Grillus & similes; non item Eudemia, Auicennam scribis te non meminisse Metaphysicos libros, aut Metaphysicam scientiam vnquam nominauisse; non vacat modo per omnia Auicennę volumina exspatiari, longoque excursu lectionis peruicacię tuę, ergo grauiora in bonis literis studia remorari; Vnum tibi Auerroem oppono, cuius comm.30.in tertium
» librum de anima, verba hæc sunt. Auicenna non est imitatus Aristote-
» lem nisi in dialectica, sed in alijs errauit, & maxime in Metaphysicis, & hoc
quia incipit quasi à se. Dignus verò es Francisce, cuius libros omnes eruditi eum risu excipiant; cum etiam Auerrois & Diui Thomæ sententiam de Metaphysicis libris in dubium vocas; illius, quòd non nisi ter Metaphysica suis in illa commentarijs, & epitome nominarit; quoties voluisses Patriti? huius, quòd non disertis verbis scribat, sic hosce libros ab Aristotele nominatos, & dispositos fuisse; & quòd aliàs præter hanc tractationi huic appellationes tribuat: quem tu hominem Diui Thomæ in Metaphysicos libros commentarijs præfixisse titulum putas? cur non ab auctore ipso profectum credis? quis te furor agit, quæ væsania dementat? altera ratio non
" minus absurda est; verba hæc sunt Diui Thomæ: dicitur enim scientia diui-

" na, siue Theologia, in quantum prædictas substantias (diuinas) considerat;
" Metaphysica in quantum considerat ens, & ea, quæ consequuntur ipsum;
" hæc enim transphysica inueniuntur in via resolutionis, sicut magis com-
" munia post minus communia; dicitur autem prima philosophia, in quantum primas rerum causas considerat. Ex his te, & ignorantiam tuam ita ferio Patriti: solet semper Aristoteles libros suos ex re subiecta inscribere, vt tu arbitraris; Diuus Thomas Metaphysicos libros sic appellatos credit; in quantum considerant ens, & quæ ens consequuntur; ens eiusdem Diui Thomæ iudicio in eadem præfatione est res subiecta librorum Metaphysicorũ; rectius igitur, & magis Aristotelice Metaphysici, quam alio modo sunt hi libri inscribendi; tuo & Diui Thomæ iudicio si quidem stemus.

Exercitatio XI.


SCRIPSERAM in præcedenti opere neminem ideò debere de Metaphysicis libris dubitare; quia diuersis nominibus appellati ab Aristotele fuerint; causamque reddideram, quoniã alij quoque Aristotelis libri, vt illi qui sunt de physico auditu, de cœlo priores, & posteriores Analytici, Elenchi, de sensu, & sensili diuersis ab ea quam habent appellationibus, fuerint ab Aristotele nominati: ob hæc tu nos indigna te scurrilitate derisisti, iocoque & ludibrio habuisti, quasi rem dubiam re magis dubia ostenderimus. quòd libri de Physico auditu, de cœlo, priores, & posteriores Analytici, Elenchi, & reliqui illi quos nominaui in eadem cum Metaphysicis controuersia positi sint; proindeque demonstrandum ante fuisse eos omnes Aristotelis esse, & argumenta tua, quibus in dubium vocabantur diluenda; quid respondeam? nisi te pluris tua æstimare, quàm par sit, & quàm re uera æstimantur? non ego id agebam tunc, vt singula Patritij somnia confutarem; hoc enim argumentum opusculi illius mei materiam rerum scriptarum, numero longe superabat; fiet id citius, quàm tu speraueris, ac pœnitebit fortasse nos ad istud operis tanto supercilio induxisse: quod ad pręsentem occasionem spectat; non tanti esse vidi apud eruditos viros discussiones illas tuas, vt ob eas illorum aliquem vel latum vnguem à recepta in scholis de Aristotelicis libris opinione recessurum iudicarem; nugas, deliria, portenta tua finu tuo conde, aut illis vendita, qui Peripatetici non sunt, neque esse volunt; bonis certe, & veris Peripateticis fucum nunquam facies, nisi meliora, & firmiora attuleris: non ego te præfatione illa mea suasum volui, quem noueram perditæ, & iniquæ mentis hominem esse; neque de Nizolijs, & alijs comparibus tui quicquam scribens cogitaui; sed ad Peripateticæ sectæ studiosos me & mea omnia retuli, atque etiam referam; apud quos de libris illis, quos ego recensui de Physicis inquam, de Cœlo, de Analyticis, & de Elenchis dubitare num Aristotelis sint, summum, & iniustissimum nefas putatur; ita credimus, ita persuasum habemus nos, qui Patritiani, & Nizoliani

non

non ſumus: Metaphyſici libri Ariſtotelis non ſunto, niſi etiam illi, quos nominaui Ariſtotelis ſint; ac ſi in hoc certaminis noſtri brauium poſitum cenſes; ſponte ex contentione cedo; tuum brauium eſto; modo viciſſim concedas tu nobis Metaphyſicos libros indubie Ariſtotelis eſſe, ſi illi, quos cõmemoraui, Ariſtotelis ſunt; quos eſſe Ariſtotelis (vide quam ignauiter, ne dicam benigne tecum agam) non alia ratione à me probatum, & demonſtratum, volo, niſi ſimplici illa noſtra, rudique, & pagana in ſcholis fide, quæ ſi vana, & inanis eſt, ac tum de nobis, & de Academiarum gymnaſijs omnibus: ſolosque Patritium, & Nizolium iuuentuti ad capeſcendã Philoſophiam Principes ſtatuimus; neque verò dubito ſæpe te de hoc principatu cogitare: ac tantiſper inſignia, faſces, & lictores expectare, dum Peripateticorum (quos tu nimis iniquus ne hoc quidem nomine dignaris) Pontificem Maximum, Imperatorem, & potentiſſimos Reges nauſea capiat: atque in te ſolum, (quando Nizolius fatis ceſſit) admirationem omnem ſuam conuertant: & te ſolum publicis gymnaſijs præficiant, vt in ſumma dignitate collocatus ſcholaſticos omnes, qui è ſuggeſtu modo docent, miſeris modis accipias: me qui capite tantum in Peripato ſim cenſus, cruci etiam affigi iubeas: ſed extra iocum. Improbitate tua Patriti opinionem omnem meam ſuperas: credideram ego laudabili quadam exercitatione tertio illo primi tomi libro te Philoſophiæ ſtudioſos tantiſper torquere uoluiſſe, donec in libro quarto, veram de Ariſtotelis libris dijudicationem afferres; ſic enim librum eum inſcribis Ariſtotelicorum
„ librorum dijudicatio; in quo neque Phyſicos, neque Metaphyſicos libros negas eſſe Ariſtotelis; at ut uideo nequiores, quam putaram, cum toto eo 4. libro in id maxime incubueris, ut ingenij tui laruas per diſſimulationem tegeres: ne monſtris tuis ſupra modum horrificis Peripateticæ doctrinæ amantes uiri turmatim in caput tuum concitarentur, imo es adhuc ne-
„ quior; nã ſi uerè tuo iudicio, ut ſcribis libro tertio de tot Ariſtotelicorum
„ librorum numero ſoli ſuperſunt quatuor, qui omnem controuerſiam ef-
„ fugerunt, mechanica, & libelli tres contra Zenophanem, contra Gorgiã,
„ & contra Zenonem. quæ tua eſt improbitas Ariſtotelem diuinum uirum in cæteris tuarum diſcuſſionum tomis ob ea quæ illi falſo (vt tu putas) attribuuntur toties carpere? Lacerare? maledictisque & indignis contumelijs inceſſere? longe tamen ab opinione tua Iulij Cæſaris Scaligeri iudicium abeſt, aſſerentis manifeſtum eſſe commentarios contra Zenonem & Zenophanem ſcriptos, non ab Ariſtotele compoſitos fuiſſe.

Exercitatio XII.

TA me dij, deęque ament Patriti; nihil te uidi unquam inconsideratius; quia scriptum à me fuerat solere Aristotelem libros suos interdum sub generalissimis appellationibus citare exotericis, encyclijs, ecdedomenis & similibus; tu phrenesi deceptus tua ob id ita à me fuisse scriptum putauisti; ut ostenderem mihi haudquaquam probari; quæ tu de his appellationibus in 6. libro primi tomi decreuisti. exotericos nimirum, acromaticos, &
„ epopticos Aristotelis libros illos esse; quos domi retinens non ediderat;
„ exotericos uerò ecdedomenos, & encyclios, quos emiserat, ut vulgo legerentur. Non id ego contendere uolui tũc, an id abste uere scriptum esset; etiamq; atq; etiã falleris Patriti; in hoc si maxime eo libro me respexisse putas; ut refellerem tua; nihil vnquam minus; per syllabum te, & tua nominaui: neq; dignus uisus es, de quo anxio magis animo cogitarẽ generalissimas appellationes uocaui: quæ non librum aliquem certo, & speciali titulo indicant, sed multis cõmunis existit; tu quia grammatistis cunctis deteriores, & verborum nihil intelligis, generales appellationes pro plurimis appellationibus es interpretatus: quis te grammaticem istam Patriti docuit? Quis item malus Dæmon suasit appellationis nomine inuulgatos libros significari? cur nondum inuulgati libri, appellationibus, hoc est titulis & inscriptionibus careant? sic autem scribis: nam si appellatio hæc libros inuulgatos significat; tales autem perpauci fuerint; quomodo hæ appellationes generalissimę? Sed præ nimio in me, dum scriberes, furore hęc nequiuisti animaduertere: pudeat senem iam sexagenarium; qui Philosophus haberi cupit cœco etiam dum in re seria appetitus motu duci, & sensus effręnes impetus nondum domuisse.

EXERCITA-

EXERCITATIONVM THEODORI ANGELVTII CVM FRANCISCO PATRITIO.

Sectio Quarta, & Exercitatio Prima.

INEPTIAE ſunt illæ tuę; meam de Ariſtotelis in Metaphyſicis libris inſtituto ſententiam non eſſe Peripateticam, quia noua ſit; & nihil Peripateticum uideri, quod in Peripato receptum non eſt. Ego verò ab Ariſtotele, qui ſectę Princeps fuit, Peripateticos appellatos puto, & Peripateticum eſſe exiſtimo quicquid cum Ariſtotelis doctrina conuenit; ſi quæ in Peripato dogmata reciperentur, quę Ariſtotelicę doctrinæ aduerſarentur; illa nunquã putarem Peripatetica eſſe: nuſquam igitur non erras; adeò in minimis caligare, in mediocribus cęcutire, in maioribus cęcum eſſe, in maximis inſanire decretum tibi apud te eſt: ad librorum Ariſtotelicorum diuiſionem accedamus, quos ego duplici dicebam genere contin-eri. acroamatico, & exoterico, illo recondito, & didaſcalico; hoc populari, & ad vulgi ſenſum accommodato, quod non ex me ipſo protuli, ut tu plerumqne ſoles tua, ſed ex Cicerone, ex Gellio, ex Plutarcho, ex Ammonio, apud quẽ tu quid eſſet demonſtratiua methodus prę imperitia nunquam intelligere potuiſti; eam enim ſic dictam putas. quaſi demonſtrationibus conſtantem; ſcilicet, ex Philopono, ex Simplicio, & ex Galeno; quorum teſtimonia cum à te in 6. libro primi tomi, tum ab alijs plerisque ante te obſeruata, notataque fuerunt; quę etſi diſſidere inter ſe modo aliquo uidentur; conueniunt tamen in eo cuncta, exotericos libros fuiſſe, qui populariter, & accommodatè ad vulgi ſenſum, & vtilitatem ſcripti eſſent; tu qui inconſultè ſemper, & præcipitanter cenſoriam dignitatem tibi arrogas; ſecus quam illi de hac quęſtione pronuncias: ſcribis enim uocem hanc exotericum interdum ſignificare idem, quod probabile, extra rem, dialecticum, vanum, logicum, & quod denique Philoſophice, & ſcientifice ſcriptum non ſit, idque colligis ex primo eundem. ex 5. de gener. anim. ex 9. Met. & ex primo, 4. & 7. Polyt. hoc bene, quia ex Ariſtotele & ex ueritate, interdum verò accipi pro eo, quod inuulgatum eſt, & palàm editum; cuiusuis illud librorum generis ſit; atque ita fieri, ut ijdem libri, qui antequam ederentur, acroamatici uocabantur; poſtquam ſunt editi, exoterici dicantur. hoc male, quia non ex Ariſtotele, & ex veritate, ſed ex tuo cerebro. uis tamen uideri nõ prorſus inaniter apotelesma iſtud excogitaſ-

ſe;

„ se;primum quia ex Aristotelis,& Alexandri epistolis colligatur ecdedome-
„ nos libros, eosdem fuisse, quos inuulgatos, & palam editos. Esto atque
„ acromaticos ecdedomenis sicut contrarios opponi; hoc est tanquam non-
„ dum editos, & inuulgatos. hoc vero Patriti & nego, & pernego: neque Strabonis verba hilum pro te faciunt; non enim is scribit solos exotericos libros à veteribus Peripateticis habitos fuisse, sicut Guarinus Veronensis, & Angelus Politianus videntur fuisse interptetati; sed præsertim, & maxime; quæ res te minime latet: sint igitur Physici libri uiuo Aristotele editi; non tamen hinc deducitur exotericos illos fuisse: libellum eum, qui de Mundo inscribitur, ego sanè qui scolasticæ theologiæ innutritus fui, verè exotericum puto, hoc est vulgarem, & popularem; & mecum omnes doctiores uiri, præter unum Patritium; qui tamen doctus non est. Discutiamus modo, quæ tu contra veterem secundum omnes, uno Sepulueda excepto Polyticorum scholiaste Aristotelicorum librorum diuisionem in duo genera acroamaticum, & exotericum obiecisti; ac primum, dilemma illud tuum insulsum est, quo ita in me argumentaris. Triplex an-
„ tea dixeras Aristotelis librorum genus exotericum, encyclium, & ecdedo-
„ menum, hæc tria uel unum & idem sunt, uel sunt inter se diuersa; si diuersa
„ sunt, & his accesserit genus acroamaticum; quod nunc pro altero generũ
„ ponis, iam 4. librorum genera erunt, & non duo, ut ais. Si tria illa unum
„ & idem esse dixeris reipsa; duo sanè erunt; & in nostram sententiam descen
„ dis; & veram esse fateris, & tuam duorum horum generum interpretatio-
„ nem falsam esse fatebere: Ego Patriti duo illa exotericum, & encyclium vnum & idem esse reipsa dico; at ecdedomenum non ad hoc genus pertinere, cum ab utrisque differre, & cum utrisque conuenire possit: non enim diuidebantur à me Aristotelici libri, nisi secundum methodum, qua traditi fuere; & quæ aut scientifica, aut popularis fuit; adscititium autem est utriusque generis libris, quocũque ordine & arte comprehensis inuulgari, vel non inuulgari: Tu igitur peruicax, tu audax qui sine testimonijs, sine ratione tibi credi postulas Physicos, ac Metaphysicos libros exotericos fuisse; & idem esse exotericum, & ecdedomenum; non ego, qui tritam à maioribus nostris uiam sequor.

Exercitatio II.



IN eo, quòd scripseramus acromaticis libris collectiones contineri methodo traditas eorum, quæ in scholis Ar. exposuerat; inconsiderate, imperite, impotenter, addo etiam stulte à te exagitamur; quem uehemẽter miror à me importune exquirere; apud quos ego scriptores repererim acroamaticos libros breues collectiones fuisse eorum, quæ studiosi in scholis ab Aristotele audiuerant; quasi non nota esset omnibus doctis Aristotelis in Philosophicis, & vere acroamaticis libris diuina breuitas; quas is cum ipso na-

turæ opere contendit; ita ut fucus addi, non res ulla queat; deponi uerbum sine rerum detrimento, sine veritatis pernicie nequeat: ita nihil aufert otiosi, ut nihil omittat necessarij, vt doctissime & eloquentissime scribitur à Iulio Cæsare Scaligero; cum necessum tamen sit eum de ijsdem rebus viua voce ante differentem à concisa illa, scrupulosa, & molesta Philosophorum dictione, ob naturalem copiam, & vbertatem orationis; atque ob interpretis in docendo consuetudinem longius recessisse; non igitur ex alijs libris seu proprijs, seu alienis acroamatica collectiones desumebant; sed ex viuo illo, & diuino Aristotelis latice: neque tu si grammatice quicquam intelligeres, uerba mea secus unquam fuisses interpretatus: diserte enim
„ scripsi acroamatica collectiones continuisse eorum quæ Aristotelis doctri-
„ næ studiosi in lyceo ab eo audiuerant. Quod ne tibi nouum uideatur, cuius calamo, mente etiam tua inuita ueritas interdum excedit, transferam huc, quæ tu in eandem sententiam lib. 6. primi tomi tuarum discussionum
„ scripsisti. Videtur autem mihi ex lyconis testamento, quod est apud Laer-
„ tium eo tempore in more Philosophis positum fuisse; ut quacumque de re-
„ libros conscripsissent, de eis discipulos instituere perlectos, ac castigatos
„ inuulgare: hæc ex te fidelissime exscripta: at num bene probatum à me est Physicos libros acroamaticos esse, & ob inscriptionem ipsam, & propter modum; quo ab Aristotele citantur, sermonum scilicet nomine? non in-
„ quit Patritius; quia neque eorum inscriptio Aristotelis est; & Ar. numquã
„ librorum nomine est usus; sermonum uerò sæpe, alios quoque quàm Phy-
„ sicos sermones uocans. Sed in utroque ex parte falsus es, & impudentissime mentiris; nam libri nomine usus est Arist. in 18. sect. problem. q. 7. qua
„ quæritur cur alios si lege cœperint, somnus occupat uel nolentes; alios
„ uigilare uolentes liber susceptus reddere peruigiles potest? Encyclia, & Ecdedomena semper sine alia additione: exoterica & exotericarum sententiarũ, vt primo cœli. tex. 100. & exotericorum sermonum appellatione, ut in plerisque locis citari ab Aristotele solent: cuius rei ea ratio est, quòd encyclia, libros quos quis vulgariter & populariter scriptos, ecdedomena inuulgatos omnes significabant; seu de ijs Ar. in Lyceo disseruisset, seu non: exoterica uerò res quidem populariter compositas significarent: sed quę tamen horis pomeridianis ad omnium intelligentiam & vsum expositæ ab Aristotele in Peripato fuissent: libri Physici longe diuersa ratione sermones nominantur; quia scilicet matutinis horis de ijs Aristoteles publice in scholis disseruisset: ob id sub appellatione primorum sermonum nulla alia voce addita ab Aristotele citantur in primo cœli cap. 3. & lib. 4. cœli. cap. item 3. quod tu tantus loquutuleius animaduertere non ualuisti. Quod ad Physicorum inscriptionem attinet, scribit Simplicius Aristotelem eos libros acroaseos Physices inscripsisse: ac Simplicij opinionem Auerroes, & reliqui deinceps alij Peripatetici secuti sunt; solus Patritius, quia omnium, quot sunt, quot fuerunt, & quot erunt in annos minime intelligit; fidem
„ Simplicio non habet; suæque peruicaciæ hanc in 5. libro. causam reddit: Quia nusquam sub eo nomine, sub alijs sæpe ab Aristotele citentur. quæso

te Patriti,

tæ Patriti? num possunt plures uno, libro cuique tituli præfigi? non credo; at libri Physici sub titulis diuersis ab Aristotele citantur; non igitur censeri recte potest ueros eos illorum librorum titulos esse: at si ueri non sunt, quid tu inter illos verum titulum quæris? quid præterea homo leuissime nullo argumento, & negatiuo Simplicio summo Philosopho refragari audes? apagesis.

Exercitatio III.



OGAS me qua via ad notitiam meam peruenerit de acroamaticorum librorum obscuritate fuisse, aliquos conquestus: Ego verò profero Patriti. Indita est cunctis hominibus intelligendi, & sciendi cupiditas; Aristoteles suo tempore clarissimus Philosophus habebatur; ob idq; non dubium plerosque Aristotelicorum dogmatum perfecte noscendorũ studiosissimos fuisse; idq; eò magis, quòd sicut à te scribitur in lib. 6. primi tomi, primus Aristoteles omnes disciplinas omnibus velaminibus demptis aperte tradidit; eosque propterea non probabile est modò, sed etiam necessarium cumprimis satagisse, vt libros obscuros, quos intelligere auebant; faciliores, apertioresq; hoc est magis analyticos, & demonstratiuos haberent: libri Physici per se obscuri erant, debebant igitur alijs minus obscuris, Metaphysicis nempe
" illustrari: cum rursus vrges: Quomodo Metaphysici lucem Physicis adfe-
" rent, si ipsi obscuri sunt, & confusi magis, vt non solum Nicolaus, sed etiam
" Alexander, & Auerroes sunt contestati? dicam Patriti, non quidem tibi, quẽ despero quicquam vmquam boni in philosophia percepturum, sed serio philosophandi studiosis: forma quatenus dat esse rei fundamentum est & basis omnium, quæ in ipsa deinde conspiciuntur; explicandum igitur cuiusmodi ipsum sit, quatenus unum, quatenus multiplex, quatenus actus, quatenus potentiæ, & quatenus contrarietatis capax; quæ bene percepta ad causarum, effectuum, effectionis, fati, fortunæ, casus, motus, & mutationis rationem intelligendam optime viam sternunt; indiuiduorumque in formis naturalibus propagationis causam reddunt; & exacte docent, quatenus in substantijs secundis primæ inueniantur; sed hæc vltra captum Patritij; ac si quidem ad Physica Metaphysica referantur; manifestus est eorum ordo, quem nos in calce nostri operis exposuimus; Physica item ipsa manifestissima ex Metaphysicis euadunt; quantum humano ingenio concessum est; non sensuum quidem claritate, seu orationis vbertate, & facilitate, sed analysi demonstrationum, & doctrinæ copia, quæ scientiæ imperfectum lumen ad fulgidam sapientiæ lucem promouet; hæc si non intelligis, quod superest intempestæ ætatis in melioribus studijs impende, quàm hactenus feceris; & senex disce, quæ multi iuuenes optime sciunt; quos tu quia Peripatetici sunt, & Scholastici, præ te nullius pretij ducis. Cum negas Metaphysica Latine reddi posse de ijs, quæ sunt in Physicis, more tuo

audacter, arroganter, & impudenter agis; non enim satis uisum fuerat philosophiam temerasse, & contumelijs in diuinos viros calamum tuum profanasse, nisi & grammaticæ rudimenta modo aliquo pollueres, ignoratione que tua inficeres. Henricus Stephanus omnium quos recentia sæcula tulerunt, linguæ Græcæ peritissimus de hac præpositione μετὰ cum accusatiuo iuncta cum apud Poetas, tum apud oratores ita præcipit. μετὰ cum accusatiuo apud Poetas nonnumquam pro in, vt Iliad. β. τοῖσι δὲ θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ὄρινε πᾶσι μετὰ πληθὺν ὅσοι οὐ βουλῆς ἐπάκουσ. & Iliad. ρ. πῶς κε σὺ χείρονα φῶτα σαώσειας, μεθ' ὅμιλον σχέτλι, ἐπεὶ &c. sed interdum ponitur etiam pro in habente accusatiuum, vt Iliad. β. ὅς με μετ' ἀπρήκτους ἔριδας καὶ νείκεα βάλλει pro εἰς. qui me in contentiones irritas, & iurgia conijcit: idem paulo post in versu illo Odiss. χ. ὡς ἐγὼ ὅτι ἐκὸν ἐς τὸν δόμον οὐδὲ χατίζων πωλεύμην μνηστῆρσιν ἀεισόμενος μετὰ δαῖτα. contendit contra Eusthatium optimis coniecturis μετὰ δαῖτα accipi pro εἰς δαῖτα. non autem pro στα, vel pro κατὰ δαῖτα. hæc ad Poetas solum spectant. ad oratores ueniamus. Demosthenes in Midiam καὶ γὰρ ἐχθρὸς ἦν, καὶ μεθ' ἡμέραν εἰδὼς ὕβριζε. vbi μεθ' ἡμέραν dixit pro in die; & interdiu. Thucyd. lib. 1. καὶ ἃ μὲν μετὰ χεῖρας ἔχοι, καὶ ἐξηγήσασθαι οἷός τε. quo loco Henricus Stephanus μετὰ χεῖρας ἔχειν significare dicit in manibus habere, non autem inter manus habere, vt alij quidam exposuerunt.

Exercitatio IIII.



NIHIL futilius, & magis ridiculum te philosophante, qui Philosophiam de cortice solum nosti. vbi locorum tu, qui multorum librorum indicibus cum Bibliopola esses conficiendis minutulam quandam tibi doctrinam, & bonarum rerum cognitionem comparasti formę illius Aristotelem meminisse scis, quæ diuina sit, & à materia secreta? vt potest forma esse ea, quę nullam materiam informat? Sed scio quid tibi erroris causa fuerit; legisti vel in Alexandro, vel in Philopono, vel in Simplicio, vel in Auerroe, vel in Alberto Magno formarum diuisionem in eas, quæ materiales sunt, & illas quę materia carent; illicoque putauisti omnes ęque, & proprie formas esse, & appellari; at non ita est; immateriales enim formę similitudine solum quadam, & orationis improprietate formæ nominantur; quippe vel quatenus sunt in primo motore tamquam in animo artificis, vt scribit Auerr. cõm. 18. in duodecimum Met. quod conuenit cum Aristotelis doctrina, qui tertio de anima tex. 38. scribit non lapidem, sed formam lapidis in animo esse, vel quatenus paribus vestigijs, & opposita quadam imitatione eas potentię defectionis de seipsis negant, quę in veris, & naturalibus formis reperiuntur, vt docent Albertus Magnus in libro, quem contra Auerroem scripsit, quod ex 2. Phys. text. 15. desumptum est, in quo forma, & natura scribitur dupliciter dici; propterea ipsa etiam priuatio forma modo quodam sit: vel quatenus similitudine quadam externa cum formis comparantur; vnde Boetius forma inquit ac materia omnia consistunt, vel ea quę ad simi-

litudinem formæ, ac materię sortiuntur, &c. in Aristotele tamen toto nullibi mentio fit formæ ullius immateriales; & illi ijdem, quos nominaui Aristotelis interpretes, cum formam proprie diuidunt, nihil immaterialis formæ meminerunt; sed uel naturalis & artificialis, ut Alex. Aphrod. in primo nat. quæst. c. 20. Simplicius scribens in prædicamenta, & Gilbertus Porretanus cap. primo libelli de sex principijs; uel substantialis, & accidentalis, ut Auerr. in epit. Met. tract. 1. c. 171. non ergo, ut meam de esse; quod à forma proficiscitur orationem intelligeres, ad immateriales formas tibi erat Patriti recurrendum; si uel leuiter te in Peripato exercuisses; sed ad solas naturales, à quibus tu argutulus, & sophisticulus ita probas esse non proficisci, quatenus tale, & nondum contractum ad externas relationes, & motum. Si effectus iste formalis naturalē formā præcedit, uel ei est coniunctus, nō uidetur eius posse esse effectus; nā si eius est effectus, eā sequit necessario; & si eam sequitur, ea est posterior ipso; & forma hæc naturalis posterior est media, hæc itidem posterior, quàm diuina; diuina ergo forma primum locum in formarum ordine tenet: secundum forma media, tertium forma naturalis, quartum uerò effectus iste naturalis formæ, qui est ipsius rei esse; rei .s. naturalis; res autem naturalis composita est ex materia, & forma: compositum ergo naturale ex materia & forma est hic primus effectus formalis; at si talis est, ad motum habet relationem, & ad externas tum actiones, tum passiones, & est ad hanc uel illam naturæ speciem necessario cōtractum, non ergo is effectus primus erit naturalis formæ effectus; ergo vel mediæ erit formæ, vel diuinæ; an mediæ sit uideamus, & primo cœlestis, at hæc ad motum refertur, & actionibus est colligata; quod non admittebatur: neque animæ forma, quia ad actiones & motiones, & species naturæ quasdam est contracta; ergo diuinæ formę effectus iste est: quæ ab omni motu, & ab omni passione uidetur esse remota; an uerò ab actione etiam, & speciebus quibusdam est semota? si dicatur semotam esse, id est contra Aristotelem, & Peripateticorum dogmata, qui inter eas quas diuinas formas & intelligentias uocāt, specificas differentias collocāt, & actionem intelligendi tribuunt; & cum motrices orbium cœlestium eas faciūt, à motu non seiungunt: nullius ergo harum trium formarum effectus est primus ille formalis: hæc tu Patriti, in quibus neque Christianus, neque Peripateticus es, Christiani procul abhorrent diuinas formas in corporibus, cum inter Deum & intelligentias, nullas species constituant; Deumq; piaculum sit corpora rerum nostratium informare; Peripatetici Deo excepto nulli rei concedunt illud, quod tu diuinæ formæ tribuis; ut ab omni motu, & passione semota sit; Deum verò ne per somnium quidem cogitarunt unquam naturalium rerum formam appellare: falsum item Peripateticos inter diuinas formas, & intelligentias discrimina, differentiasq; collocare, quoniam ut ex Metaphysicis ostendebamus, præter intelligentias orbium cœlestium motrices, nullæ aliæ extāt; & supra illas alias species pręter Deum Opt. Max. reperiri nouum est, inauditum est, prodigiosum est, in scholis Peripateticorum: dicet Patritius se ex Thesibus Platonicorum argumen-

argumentatum esse; at quid opus erat ò bone in expositione illius sententiæ, quam ego esse Peripateticam contendo, & tanquam Peripateticam interpretor ad Platonicos alueos recurrere?uides ineptiam tuam Patriti?ineptio res ad huc in argumentis;nam cum dicis;Si eis est effectus, eam sequitur necessario; & si eam sequitur, ea est posterior ipso'. Præpostere concludis, & omnino alogicos. colligendum enim fuisset; & si eam sequitur, ea est prior ipso. quod enim sequitur,posterius est; quod antecedit,prius: Cũ subnectis.Primus effectus formalis est ipsius rei esse, rei scilicet naturalis,res aũt naturalis cõposita est ex materia & forma:cõpositũ ergo naturale ex materia;& forma est hic tuus primus effectus formalis,at si talis est,ad motũ hẽt relationẽ; & ad externas tũ actiones,tũ passiones. nihilo doctior dialecticus es;neque enim illud sequitur compositum ergo naturale ex materia & forma est hic tuus primus effectus formalis; quia compositum naturale non forma partis constituitur, sed forma totius; hæc tibi scholasticis subtilitatibus non innutrito enigmata, aut arabice dicta uidebuntur: dicam igitur facilius.compositum naturale non ex sola forma primò, & per se resultat, ut ipsius esse; sed ex materia & forma tanquam actu,& potentia simul iunctis. neque item illud scite concludebatur.At si talis est ad motum habet relationem, & ad externas tum actiones, tum passiones. Respondebit enim quiuis etiam de grege scholasticus habere quidem compositum naturale illas relationes, sed post productum esse; agis autem imperite,& crittice cum sensu composito accipis in nos argumentantes;quæ ipsi diuiso sensu accipiebamus; non enim negabatur ipsius rei esse, quod à forma producitur ad motum & ad externas tum actiones, tum passiones habere relationem: nisi quatenus tale est; quod alijs uerbis passim exponunt per se primò. sed hæc tibi ignota; ob id inconsiderate cuncta pronuncias; dialecticæque cum nihil scias, vis tamen pro summo Philosopho haberi; & de rebus ingenij tui uires excedentibus cum Peripateticis disputare.

Exercitatio V.



PVERILITER admodum nos in eo exagitas,quod scripsimus à forma manare ipsum esse;cum sic argumentaris;Forma quæ progignit ens,aut ipsa quoq; est ens, aut non ens; nõ hoc, quia ex nihilo nihil fit,& quia forma omnis & actu est, & actus est;at neq; illud quoniam sequeretur aut in re naturali duo æque prima entia reperiri, cum dicatur illius esse manare à forma; effectusq; non possit causam antecedere; aut causam esse posteriorem effectu;formam scilicet suo esse: si sit ens quidem; sed secundum,non primum ens. Hæc tuorum argumentorum summa, quæ tu confusissime,& saltuatim proposuisti. esse manare à forma non meum est,

sed

ſed Ariſtotelis mille in locis:non me igitur, ſed Ariſtotelem reprehendis; cum contendis eſſe à forma non proficiſci;agisq; imperite Ariſtotelis dogmata à meis(quæ tu ſcilicet mea eſſe vis) minime diſcrimans;ſic enim de me ſcribis. Si neſciat haſce ambages explicare argumenta videlicet tua, quibus probas eſſe non manare à forma naturali; Tum dicemus nos Ariſtotelem ſuum nos docuiſſe ens & vnum idem eſſe, quo hanc Ariſtotelis doctrinam referas tam non intelligo,quàm tu quod eſſe à forma oriretur nũquam intellexiſti: non formæ,ſed naturalis rei eſſe à forma ſcaturit; fruſtra igitur, & nequicquam Achilles illi tui; forma eſt ens,eſt actus; non tamen actu. Simplicius ſuper text.6. primi libri de anima, Forma, inquit, non eſt actu,ſed ipſemet actus. quod nemo Peripateticorum non nouit. quòd autem putas me à te in res maxime abſurdas, & in ambages valde implicitas deduci, de ente de quo nos loquimur;& de ente, per quod forma eſt; fore quippe, vt alterum altero prius ſit,vel poſterius; aut vtraq; entia æque prima;clare oſtendis ne à limine quidem Peripati muſas te conſalutaſſe; trita hæc ſunt inter nos;& quotidie in ſcholis diſſerimus num forma in ortu & interitu rerum præcedat compoſitum vel ſequatur; & vtrum item præſtet alteri dignitate,& excellentia exiſtendi; nonnullis formæ, vt Auerroe cõm. 4. ſuper ſecundum Phyſicorum; compoſito alijs, vt Simplicio ſuper text. 51.Phyſ.& ſuper text.42.vtrique alijs ex æquo ſuffragantibus: Eſſe rei naturalis à forma totum procreari præter Ariſtotelem, qui formam definit id quod dat eſſe,& quodquid eſſe rei, Peripatetici quoque alij omnes docuerunt. Alexander Aphrodiſieus ſup. 1. cap. 1. Topicorum. Forma, inquit,
„ vniuſcuiusque rei eſt illud ſecundum quod eſt. Idem ſuper text.12.2. Met.
„ Quemadmodum homo,& hominis eſſe differunt ſic fit in cunctis rebus
„ compoſitis: eſſe enim cuique rei ex forma adeſt; homo enim ex materia &
„ forma conſtat, eſſe autem hominis ſimplex eſt, quippe cum forma ſit eius
„ eſſe;nam in rebus incorporeis idem eſt res,atque ipſius eſſe in habentibus autem eſſe in materia differunt. Themiſtius ſuper textũ 9. tertij de anima
„ Aliud eſt aqua,aliud eſſentia, ſeu quod quid erat eſſe aquæ; illud enim eſt
„ quidpiam ex materia & forma concretum, hoc autem eſt aquæ forma, &
„ ratio per quam eſt aqua: unaquæque enim res deſcriptionem ſuam non de materia, ſed de forma nanciſcitur. Idem ſuper textum 38. eiuſdem libri.
„ Res quanta eſt, forma ipſa eſt, materia verò non eſſentiæ, ſed generationis
„ potius,& ipſius,vt ita dixerim fieri auctor,& cauſa eſt: diffluunt obiter cor
„ pora,quod quidẽ opera & maleficio materiæ accidit:ſi qua ſtant,quieſcunt
„ ne;totum id debet formæ acceptum referri. Simplicius ſuper text.8. libri
„ tertij de anima. Forma differt ab eo quod ex forma conſtat: caro enim &
„ aqua formis affecta ſunt, ipſum verò eſſe vniuſcuiusque eorum,ipſa uniuſ-
„ cuiusque forma eſt:forma namque per ipſum quid erat definiri conſueuit.
„ Idem Simplicius ſuper text.2. 1.de anima. Forma vnicuique eſt in cauſa,vt
„ ſit,quod eſt.& ſuper ſecundum Phyſicorum. Forma eſt vniuſcuiusque ca-
„ racter,per quem unumquodque ſubſiſtit, & eſſe dicitur id quod eſt. Philoponus ſuper text.32.1.Phyſ. Forma eſt,quæ finit & terminat,& vnicuique

vnitatem

vnitatem tribuit. Boetius in lib. de ebdomadibus, Id quod est, accepta essendi forma est, atque subsistit. Auerroes com. 21. super 7. Metaphys. Quiditas hominis vno modo est homo; & alio modo non est homo; est enim ipsa forma hominis, non est autem homo, qui est congregatus ex materia & forma. Albertus Magnus super text. 28. 2. libri Physicorum; Forma proprie loquendo est essentia constituens speciem secundum esse in rebus naturalibus; nam esse compositi fluit ab essentia, quę est forma rei, sicut lumen fluit à luce. Mirabitur autem fortasse Patritius, si tamen ingenio tanto est, vt hoc mirari possit; quomodo compositum naturale existat, & sit illud totum, quod est per solam formam cum ex materia & forma compositam substantiam habeat? Cui sic quiuis in Peripato fracti ciceris, & nucis emptor admirationem omnem aufert: solam formam constituere totam rei essentiam, & esse; quicquid contra D. Thomas clamitet 1. p. q. 75. ar. 4. nõ tamẽ integram substantiã; quæ res explicata à me fuit in tertia assertione. subnectit Patritius; Si vnum, multa, idem, diuersum; oppositio, actus, potentia & alia id genus sunt proprietates entis illius, quod à forma profectum est, quatenus tale est; nulla earum proprietatum formæ competet; ergo forma nec una potest esse, nec multæ, nec identitatem habet, nec alteritatem, neque vlli rei opponitur, neque actu, neque actus est. Equidem Patriti, quid inde malorum? pars a toto disiuncta non est eadem, quæ erat ante, nisi æquiuoce, sicut Ar. docet in 2. de gener. anim. & in libro de affectibus mistorum: & forma igitur si à composito diuellatur; vel consideretur omnino seorsum ab illo, non est eadem amplius, quę ante erat nisi homonimos: at sic esse, & sic animo spectari naturalis forma numquam potest, (humanas animas semper excipio) abiuncta igitur à toto, & sine toto considerata neque est, neque vna est, neque potentia, neque actus est, neque rei vlli opponitur; vt in toto est, horum omnium attributorum particeps existit: totum ergo nõ minus quam forma proprietatum huiusmodi fons, & origo existit: alia tamen longe ratione; à forma si quidem simplicem eę originem habent; eiusque germina existunt; cõtinentur autem, promouentur; & in vsum adhibentur à composito; ob id in 2. Phys. text. 31. scribitur partes habere rationem materiæ, seu subiecti; totum autem formæ, si simul cõferantur: & alijs locis suppositorum proprium esse, vt agant; non autem formarum, aut aliarum rerum, quę in suppositis sunt.

Exercitatio VI.

PIGET grammaticę ignorationem tibi toties obijcere; sic scripseram; de ente formali Ne tot longarum tractationum promistione scientia confunderetur separatim agere Aristotelem voluisse in libris Metaphysicis, pręterea, quę de illo ueluti raptim in Physicis tradiderat: Quę tu ita interpretaris, ut longam de ente tractationem in Physicis fuisse institutam ex oratione mea intellexisse videare; quod falsum

falsum est. pergis de ente formali neque longe, neque strictim in Physicis Ari
„ stotelem egisse. quod aperte redarguitur ex primis capitibus primi libri,
quę de ente sunt contra Parmenidem, ex cap. 8. eiusdem, in quo ens di-
uiditur. ex cap. 3. ac 7. libri 2. vbi de quidditate, & de forma differitur; & ex
cap. primo libri tertij, quo iterum ens in suas partes dispescitur. subdis de-
inde nusquam Aristotelem in Metaphysicis de ente naturali disputauisse.
O' tribus anticyris caput sanabile nunquam; num nō de ente in libris Me-
taphysicis passim oratio habetur? num non ostensum à nobis, ens omne
Metaphysicum uere Physicum. & naturale existere: & ens illud generalis-
simum, & communissimum uestrum rem uanam & inanem esse? subne-
ctit omnigenę exemplar nugacitatis, Angelutium scripsisse Aristotelem in
„ Metaphysicis libris de esse naturali breuiter commemorasse; quod ab om-
„ ni veritate procul, & longissime ab est; de ijs quę sunt in Physicis breuem
factam commemorationem scripsi in Metaphysicis, non autem de ente na
turali: negas prętерea in Mętaphysicis de ea substantia susceptam disputa-
„ tionem esse quę ex materia & forma composita est. quibus uerbis palam
ostendis Metaphysica te nunquam nisi oscitanter legisse: quoniam & 6. &
7. & 8. & 9. Metaphysicorum liber de substantia composita, & de illius es-
sentia, ac partibus latam & fusam disceptationem continent; neque sub-
stantia ea, quæ primam cathegoriam efficit, de qua Aristoteles in Meta-
physicis sæpissime; alia est, quam composita. notissima autem hæc sunt, &
luce meridiana clariora cunctis in Aristotelis lectione exercitatis; quibus
solis operis illud mei conscriptum uolui, non tibi, qui qualis, & quanto
ingenio sis, tunc illi cognoscent, qui ex cœlesti Aristotelis sapientia in in-
scitiæ, & ignorantiæ tuæ catadupa præcipitant, quum tarde sapere inci-
pient. quibus ut mature resipiscant in insignem quandam tuam bardita-
„ tem indigito. ita scribis; Neque vero breuis commemoratio est integrorū
quorundam capitum ex Physicis transcriptio. Cur Patriti loca Metaphy-
sica sigillatim non commonstrasti, in quibus integra ex Physicis capita tran
scribuntur? aut cur mihi uitio uertis, quod non semper Aristotelis loca si-
gillatim referam? quæ tibi; quam mihi maior in literatorum Republica
authoritas? istud tamen me non magnopere reclamante tuæ solitæ pote-
stati tribuatur, dum mihi integrum uicissim sit te non reclamante stolidi-
tati tuæ tribuere; quòd inepte, & inscite semper argumenteris: quid enim
imperitius quàm ex particulari colligere uniuersale? Integra quædam
„ capita ex Physicis in Metaphysica transcribuntur: non ergo Metaphysica
„ breuem commemorationem continent eorum, quæ in Physicis dicta fue-
rant? librum 11. Metaphysices totum lege, in eoque breuem fieri comme-
morationem reperies de infinito, de motu, de loco, de tempore, de conti-
nuo, de contiguo. eum ne integre hoc loco tibi à me referri uis? at non fa-
ciam, ut stupiditate ista tua stupidior ipse appaream.

Exercitatio VII.



HYSICA à Metaphyſicis originem ducere, illaque in hæc tanquam in prima principia reſolui ſcripſeram; quod tu ita accepiſti, ac ſi eſſe, & ens Phyſicum ab eſſe & ente Metaphyſico originem trahere dixiſſem: at falleris, in erroreque maximo uerſaris, quia non diſtinguo eſſe & ens Phyſicum ab eſſe & ente Metaphyſico, quatenus entia ſunt; Tu uerò ſumpta hinc occaſione ſophiſticum hominem perbelle agis hunc in modum ediſſerens. Ergo Metaphyſicum ens uel eſſe antecedit Phyſicum ens & eſſe; ergo tractatio, & ſcientia Metaphyſica prior eſt, quàm Phyſica; at Commentarij poſteriores ſunt contextu, non igitur Metaphyſici libri commentarij ſunt Phyſicorum. Hæccine Patritianæ dialecticę cathegoremata? eſto, ut in Metaphyſicis de ente illo tuo communi & generali agatur; non autem de ente naturali, ut nos arbitrati ſumus; num & illud tuum ens & eſſe Metaphyſicorum, ens & eſſe Phyſicum non antecedit? num eo naturę ordine non exiſtit prius? non tamen ex hoc in tua & aliorum doctrina ſequeretur ſcientiam Metaphyſicam Phyſica priorem eſſe; Metaphyſica enim Latine redditis, quæ ſunt poſt Phyſica; non ergo hæ illationes ex meis ſomnis profectæ, ſed æque ex tuis, atque ex meis; mosque hic tuus eſt aut ea ſumere, ex quibus quæ tu uis minime efficiantur, aut ex illis ratiocinari, quę etiam in peſpicue falſis eadem dici poſſunt; quam dialecticam ubi locorũ didiceris neſcio. hoc ſcio, de methodo te nihil unquam intellexiſſe, neq; percepiſſe quid apud Ariſtotelem Analyſis, & Geneſis, quid apud Platonem Diæreſis, & Sintheſis ſignificent; quoniam ſcribendo ſentire præ te fers una & eadem ſcientias cunctas methodo doceri; atque ab eodem genere principiorum facultatum omnium primordia deduci; qui re nulla abſurdior & remotior à ratione dici & cogitari in Logicis poteſt: cum rurſus inſtas; ſi Phyſicorum Metaphyſici commentaria ſunt; recte hi poſt illos collocabuntur; cur ergo omnes Peripatetici poſt Phyſicos ſtatim libros de cœlo collocant? æque nihil concludis, quoniam libri Metaphyſici tam reliquis de natura libris, quàm Phyſicis comparati, poſtremam & ultimam de ijs ſapientiam condunt: ob idque poſt omnes, aut ante omnes ediſcendi; tametſi vniuerſalitatis affinitate, quæ in Metaphyſicis tractantur immediate & proxime libros de Phyſico auditu, non autem cætera de naturalibus rebus uolumina antecedunt; ac non inde peti Metaphyſicorum cum Phyſicis copulationem, & ordinem inter omnes conſtat; cum unanimi omniũ opinione Metaphyſica entia naturæ diſpoſitione rebus Phyſicis prȩire iudicentur; cuius prȩcurſionis ratio ulla ſi habenda eſſet, ante Phyſica, non poſt Phyſica Metaphyſici libri forent collocandi; ea tamen affinitas vniuerſalitatis, & proxima Metaphyſicorũ cum Phyſicis cohȩrentia ſufficiens cauſa eſt, ut Phyſicorum potius, quàm cæterarum de naturalibus rebus tracta-

tionum

tionum commentaria; Metaphyſici dicantur; quòd nihil naturalibus rebus ex Metaphyſicis lucis afferatur, niſi Phyſicorum opera, quę cum Metaphyſicis, ſi naturę ordinem ſpectes immediate coniunguntur; quam tamen natu rę ſeriem in utriſque inuicem ſubordinandis Ariſtoteles, ut dixi, ſectatus non eſt: Hęc ob nimiam acutiem, & ſubtilitatem Patritius non intelligit: ſed pergit argumentari ſi Phyſica quoad unum, idemque ſubiectum eadem eſt cum Metaphyſica, Phyſica ſcientia nequaquam dici poteſt; quia ſubiectum proprium non habet: imò Patriti uere ſcientia appellari poteſt, quia idem ſubiectum habet, quod Metaphyſica: tametſi enim ſubiectum proprium requiritur ad ſcientiam quamcunque diſtinguendã ab alia ſcientia: non tamen à ſapiẽtia: de qua re fuſe poſt aſſertionis in priori opere diſſeruimus: iterum ſubdis, ſi duæ ſunt ſcientia, & ſapientia, doce nos, quomodo idem ſubiectum habeant, & quomodo differant inter ſcriptas. Ego verò docui Patriti, ſed tu aut ob impatientiam non legiſti; aut ob inſcitiam non percepiſti quę ſcripta à me fuerunt pag. 62. operis ſuperioris; cum oſtendi ſapientiam à ſcientia differre cõtemplationis promotione. Subiungis non haberi ex Ariſtotele; ex ſapientia & ſcientia circa rem eandem uerſantibus tertiam quandam doctrinam fieri, ſed ſapientiam componi ex habitu mentis & ex ſcientia: at ò bone, ſi mens & ſcientia ſapientię habitum conſtituunt: ſapientia fit ex ſcientia, quamquam non ſola: & tamen illa ipſa ſecundum ſpeciem ſcientia, quę ſapientiam componit, abiunctim & ſeparatim à ſapientia reperiri poteſt: & vere reperitur, vt Phyſica facultas à Metaphyſica: ſecus enim imperfectus eſſet ſcientiarum numerus: ſcientiarum inquam, quæ ſolum ſcientię ſunt, ad ſapientiamque minime ſpectant: cur igitur ſcientia, quæ cum ſapientia coniuncta eſt, & ſcientia, quæ ab ea diſiunctim accipitur ſibi inuicem non magnopere prodeſſe, & mutuam præſtare operam poſſint? at quo modo, niſi habitus & contemplationis continuatione; concurrunt ergo ſapientia, quæ ex mente fit, atque ex ſcientia; & hęc ipſa ſcientia ſeorſum tradita; à ſapientia ad abſolutæ cuiuſdam, perfectæque doctrinę compoſitionem.

Exercitatio VIII.



IO ego paſſiones entis unum multa, actum, potentiam &c. principia eſſe cunctarum rerum; quę in natura conſpiciuntur; idque ex Ariſtotelis doctrina, tu negas, atque ex eiuſdem doctrina rerum natura conſtantium principia eſſe vis materiam, formam, & priuationem; at differt Patriti dicere res, quæ in natura conſpiciuntur, & res natura conſtantes; ſint equidem rerum natura cõſtantium principia materia, & forma (priuationem quam belle illarum principium feceris admiratores tui viderint; non rei, ſed mutationis principium alij eam prędicant) at horum ipſorum principiorum quæ erunt alia principia? entis paſſiones ego dixi ob eam cauſam;

quia ens ipsum ex se est vniforme & simplex,quod cum nō possit in res varias formari illorum additione, quæ minime sunt entia, quoniam ex non ente nihil fieri, & formari potest; solo complexu proprietatum, qui varius, ac multiplex est,sese in multa genera,species, & indiuidua fundit;quæ proprietates neq; omnino sunt ens ipsum;neque sunt prorsus nihil; & rerum cunctarum initia existunt; tametsi de ente ipso non nisi diuisim enuncian-tur hoc modo; unum, vel multa;actus vel potentia, oppositorum, & relatorum alterum &c.quam rem Patritius percipere sine me non potuit;quia Metaphysica delibauit quidem;sed non vorauit; & si vorauit, non concoxit; & si concoxit, vitiauit ægro illo, & prauo iecinore suo; ideo stulte putat. Si entis passiones rerum omnium principia sunt, res omnes debere esse simul vnas,& multas: Sic enim scribit. Materia,forma, & priuatio singula si vnum sunt,non sunt tamen multa; & si cuncta multa sunt, nō sunt tamen vnum. Ita ne Patriti de entis passionibus nihil vmquam legisti, aut audisti? vt quæ coniunctim prædicantur, aut absolute,ab ijs secerneres quæ diuisim accipiuntur? at saltem debebas ipse tecum cogitare non alio modo materiæ,& formæ in componendo naturas ab Aristotele explicari, quàm ex actu,& potentia deducta ratione; proindeque actum & potentiam materiæ & formæ principia esse: prosequitur Patritius in inficianda veritate, & negat Physiologiam ab Aristotele sapientiæ nomine fuisse vmquam appellatam, quia Aristotelis externas fimbrias numquam attigit: diserte etenim scribitur in tex.7.4.libri Metaphys.in fine Physicam sapientiam quandā esse, sed non primam: Quod ad Physiologiæ incertitudinem,& inconstantiam attinet, ob quam scribis negasse aliquos perfectè quicquam in ea, & ad vnguem sciri posse, neque nos in ea sententia sumus, vt Physicorum dogmata pro edictis prætorijs habenda sint: cum constet apud eruditos verissimæ peplum sapientię humanę mentis acie attingi minime posse: putamus tamen posse aliquos, sapientes Physicos uocari: illos scilicet, qui quantum humani ingenij viribus concessum est, in naturæ penetralia introspiciunt.

EXERCITA-

EXERCITATIONVM THEODORI ANGELVTII CVM FRANCISCO PATRITIO.

Sectio Quinta. Exercitatio Prima.


ELIQVVM est modo, vt quæ aduersarius in assertionibus nostris inficiasiuit pro viribus tutemur hinc auspicantes: in primę & secundę assertionis veritate conuenimus ambo: nullum ens, quia commune sit, sinonime, aut analogice Deo, & naturalibus rebus conuenire: ex quibus ita inferre placet: ens per te, quo Deus est, & quo naturalia existunt nullum commune principium per Analogiam habent; non ergo scientia vlla est de ente communissimo: quod enim neque Sinonimum, neque Analogum est, ęquiuoce dicitur, de ęquiuocis autem nulla scientia esse potest: cur ergo sic scripseras in
„ 8. tuarum discussionem libro? Quòd si entis, vt ens sciētiam intelligamus
„ pro scientia entis vniuersalissimi, omnibus entibus communis, proculdu-
„ bio à Theologia longe erit diuersa; ab eaque tantum differret, quātum totum à parte, commune à proprio dfferunt; ac id, quod de re uniuersa tractat ab ea, quod de una re aliqua; talis entis scientiam comprehensam, & tractatam ab Aristotele dicimus libris 3.4.5.6.7.8.& 9.& pręterea libro Prędicamentorum. gusta hęc ò bone ex obæsa ista tua, & pingui minerua enata: ad tertię assertionis discussionem veniamus.

Exercitatio II.


ERTIA assertio erat ens naturale re, & ratione abstractum esse à materia; qua occasione explicatum etiam à nobis fuit, quid esset re, vel ratione distingui; ostensumq; neq; compositum ipsum, quod proprie esse dicitur, neq; formam à qua esse emanat à materia in essentia pendere; quod enunciatum non nostrū est, sed omuium penitus Perlpateticorum Diuo Thoma excepto; sicut in exercitatione quinta sectionis quartæ dictum fuit. tu cōtra id, quod statueramus, re distingui illa, quæ essentiā diuersam habent; nihil; ad rationes item nostras nihil: audes tamen non solum hiscere, sed etiam argutulus
„ videri velle: Ais enim ens naturale vel est materia prima, vel forma, quę dat
„ esse rei, vel ex his composita substātia; vel accidentia, quæ ab eis prouenien-

tia

„ tia compositæ substantiæ vel semper insunt, vel aliquando. Nihil horum
est Patriti. pergis: materiã à materia abstrahere insania mera est, esto. Sub-
nectis. Formam autem, quæ ex potentia & sinu materiæ processit, inque
„ materia fundata est, par insania est dicere à materia abstractam esse. Imò
Patriti insania est dicere non abstractam esse; subdis deinde. Maior verò in-
„ sania dicere compositam substantiam, cuius pars materia sit, esse à sua par-
te abstractã, tanquam totum sine parte posset consistere. Non id dicere est
insania; sed non intelligere quid sit distingui re; non capere quid differat
substantia ab essentia; non percipere, quemadmodum materia nullo modo
spectet ad essentiã formæ; non comprehendere in sola forma totum esse, to
tam essentiam, & totã quiditatem compositæ substantiæ contineri, vt Græ-
ci omnes interpretes docuere: hæc tu nisi bene callebas; non erat, cur mecũ
improuide ne dicam stulte in hunc puluerem descenderes; poteras conten-
tione ea, quæ de historijs suscepta inter nos fuit, contentus esse; eam solam
pugnam mihi tecum esse uolui; quia vetus adagium est; ne sutor vltra cre-
„ pidam: Quod scripsi esse formale non per se, & quatenus tale est, coniungi
„ materiei; sed quatenus capax est ortus, & interitus non meum est sed Ari-
stotelis, in cuius doctrina tritum, materiam & formam se habere; vt turpe,
& pulchrum; illamq; semper meditari maleficiũ; ortusque & generationis
rerum causam esse: quę verò coniunctio naturalis, & per se esse potest cum
pulchro turpis? formæ cum eo, quod formam labefactat? Egregie Themi-
stius super textum 38. tertij libri de anima. res inquit. Quanta est, forma
ipsa est, materia verò non essentiæ, sed generationis potius, & ipsius, vt ita
dixerim fieri auctor & causa est; diffluunt obiter corpora; quod quidem
opera & maleficio materiæ accidit; si qua stant, quiescuntve, totum id debet
formæ acceptum referri.

Exercitatio III.

ONTRA id, quod scripseram; esse rerum naturalium à forma
profectum immobile existere, multorum tela argumentorum
exacuisti, nulla ante a syllogismis meis, quibus id probauerã de-
fensione & munitione comparata. illorum primum est. esse for-
„ male ortus & interitus capax est, ortus autem & interitus sunt inter mo-
„ tus numerati, & motus sunt, & per motum fiunt, non igitur esse formale
est immobile. Secundum est. Si forma ipsa causa nimirum ipsius esse for-
„ malis & oritur, & interit, immobilis non est, quomodo effectus eius im-
„ mobilis existet? Tertium est. Compositum naturale est mobile in quo est
„ esse naturale, ergo & esse naturale mouebitur ea ipsa ratione, qua esse natu-
„ rale: hoc est à natura formæ ortum, hoc est à principio motus. Quartũ est.
„ Quid aliud mouetur à forma, quàm ipsum esse, cum & oritur, & ad nõ esse
transit, atque interit, quamtumuis actum significet? ad quæ paucis respon-
demus nihil eorum per se formæ accidere, quæ quanta quanta est, Entele-
chia est; hoc est, vt Gilbertus Porretanus scribit simplici constans & inua-
riabili essentia; sed à materiæ contagione manare omnia, quę tota extra for-

mam

mam est. Compositum item naturale non secundum substantiam, & quatenus materiam habet; sed secundum essentiam immobile esse dicimus; esse autem ipsum mobile est ob potentiam foris accedentem; hoc est non mutatur nisi secundum accidentia; cum oritur, aut ad non esse transit; non ipsum, aut forma, aut composita substantia mutationis subiectum est, sed materia, ut cuius manifestum est: ob idque mobilitas ea ex materia tota nascitur, non ex forma, vel ex esse, uel ex composito; quæ si mutari interdum dicuntur, non ex se, sed ob communionem materiæ mutantur; quæ pura potentia est; quod scribis motũ actum esse & quatenus actum enti in actu competere dignus est error quę Peripatetici omnes exsibilent; non vt tu Aristoteles qui motum definit actum entis in potentia, quatenus in potentia; cuius rationes ante tibi erant diluendæ, quam noui te, & falsissimi dogmatis primum auctorem iactares: At inquis cœleste corpus, quod materia
» caret, & forma & actus est, proculdubio mouetur, ac mobile est. Hui Patri-
» ti, etiam quatenus actus est, cœlum mobile dicitur? nos leuioris doctrinæ homines eatenus cœlum putabamus moueri, quatenus potentiam habet ad vbi. verba hęc sunt diuini pręceptoris text. 17. 9. Met. Nihil simpliciter potentia est, secundum aliquid autem nihil prohibet, vt quale, aut vbi.

Exercitatio IIII.



ASSERTIO quinta erat non posse ens Physicũ quatenus tale est, recte & ad unguem intelligi sine aliqua de Deo, & de rebus diuinis cognitione; contra quam priusquã disputare incæpisses, nasturtium tibi edendum fuerat; ut torporem excussisset: negas naturalem substantiã, aut rem ullam aliam recte & ad vnguem posse intelligi, hoc est vere, & plenè ut tu interpretaris; nullæ igitur scientiæ, tuque non meę modo sententiæ de Metaphysicis, sed omnium quoque euersor scientiarum; esto ut intuitiua cognitione nullus Philosophorum, quantumuis maximus, substantiam aliquam nouerit, quia in communi natura uagamur notionum, cui addimus quãtum fert captus noster; nostraq; scientia umbra est quędam in Sole; & abstractiua, & ratiocinatiua; quid ni? secus enim falsus Aristoteles, qui & scientiam & sapientiam naturalem nominat; falsus etiam Plato tuus, qui scientiam uersari dixit in Phoedone circa id quod est, quatenus tale; eamq; discreuit ab opinione; falsus quoq; Plotinus qui lib. 9. Ennead. 5. c. 7. ab intellectu in animam rationalem ueras sciẽtias prouenire scribit; quid si per simplicem sympathiam, quę menti est cum ipsa ueritate pleraq; nos scire dixero, neq; tamen abstrahentes, neque ratiocinantes? Tu, sicut arbitror, nostrum scire à Dei cognitione fortasse non distinguis; absoluteq; scientię nomen accipis, tunc etiam, quando expressa oratione ad hominem refertur; ingenioque es adeò lurido, ut veram, & plenam in homine de rebus cognitionem requiri existimes nõ humano modo, sed dæmoniaco, aut etiam si dijs placet diuino; quid? si contra Philosophornm vulgus dicerem non ad nudam ueritatem, sed ad imaginẽ duntaxat, & apparentem speciem veritatis percipiendam per se natum ho-

minem.

minem esse; & tamen pleraque ab eo rectè & ad unguem sciri, non quatenus vera sunt, sed quatenus sine veritatis fuco notas habent insigniores veritatis, illiusque clariorem, & certiorem imaginem gerunt? sensuum etenim cognitionis fundamenta ex quibus ipse sibi ad contemplandum aditum facit, non ob aliud sunt certa, quàm quia talia apparent; assequetur item legis & instituti sui finem natura, cum de rebus etiam minimis Philosophi inter se dissentiunt, si homo ad apparentem veritatem natus dicatur; sed de his alias. Tum probas non conferre cognitionem, quæ de Deo habetur ad rerum naturalium cognitionem, quia entia sint utraque inter se disparata, minimeq; aut sinonime, aut analogice in uno principio coniunctam, futiliter admodum, & inepte probas. nam finis, & agẽs causa in illorum quoque effectorum notitiam ducere nos possunt, cum quibus neque sinonime, neq; analogice per internam analogiam conueniunt: quia non ut formæ, & formalia attributa interne cum effectis coniungi postulant, sed sat habent externa relatione; nemoq; diffiteri potest resolui tandem uniuersitatis colligationem, & rerum omnium constitutionem in relationem quandam, quę externa est; quia cœlum & natura ab uno principio pendent; qui Deus est: si igitur res cunctę ex actionibus percipiuntur; si actiones ipsę in eam colligationem postremò resoluuntur; quam cum prima causa habent, à qua dependent: si ordo quicquam facit ad rerum cognitionem; Deus autem caput est ordinis uniuersitatis rerum, nemo poterit recte, & ad unguem nosce de esse rerũ naturalium quatenus tale, unde proueniat, quod fulcimentum habeat; quo referatur, quantum se ipso inniti possit, cuiusmodi sit deniq; nisi de Deo, & de rebus diuinis qualemcunq; notitiam habuerit: ullus si est eruditus, qui contra sentiat: tu Phyllida solus habeto. nouerint Thales, Anaximander, Anaximenes, & athei quoque ipsi de rebus naturalibus, earũque proprietatibus plurima; de esse tamẽ illarum, de fine, de ordine nihil ad unguem, scire potuerunt; id tibi si mirum est, admirari desine Platonem tuũ, qui eam solum de rebus naturalibus cognitionem probat, quæ cum diuinarum rerum contemplatione coniuncta est; non omnium sunt hæc philosophemata; ideo tu pro bonis argumentis ineptias dicacitatis & scurrilitatis adduxisti; Rem à me Platonis, & Aristotelis doctrinam demonstratã, per eorundem doctrinam non euertisti. quid tibi cum meo igniculo & ancillula in re graui, & seria? verebaris credo ne petulans & impudens in omnibus non haberere; cestigeris, & meretriculis nugas istas sycophãtię tuæ uendita, nõ doctis & honestis Philosophis; quos oportet contentionũ nostrarũ iudices esse; Plutarchi lectione parũ profecisti, (quem tñ magnopere laudabas.) Lectoris patientia nimium abutens: Pergis nos de hac loquendi formula coarguens, tametsi Physicum ens sit & rebus naturalibus coniunctum; quia pro rato accipis Physicum ens & rem naturalem re & ratione idem esse; proindeque imperite me sic locutum fuisse, ut rem unam & eandem & à se disiungi, & iterum sibi cõiungi posse uidear existimare; at illud Patriti maxime ambiguum est in nostris scholis. Thomas in lib. de ente & essentia; secũdo contra gentes cap. 52. primo sent. distinct. 8. super text. 3. 4.

Met. & Egidius Romanus quodlibeto 1.q.7.censent in re quauis Deo Optimo Maximo excepto esse distingui realiter ab essentia; cõtra Ioannes Duns, Durandus, Henricus, & Gulielmus Ochamus. quorum nomina iam præuideo contemptui tibi mea legenti, & ludibrio futura: Hoc si ignorabas, cur non discere? si noueras, cur tantum insolescere? Nihil tamen de hac quæstione nos in præsentia statuimus; hoc unum contendo, non inepte me locutum esse; qui clarissimos uiros secutus fuerim: Aristoteles in 2.lib. Post. tex.7. quid autem est homo, & esse hominem, aliud est; & paulo post; ipsum uerò esse nulli est substantia. Boetius in lib. de ebdemad. diuersum, inquit, est esse, & id quod est. Scaliger Exercit. 359. ad Hieronymum Gardanum de Intelligentijs loquens. Est autem essentia, qua est id, quod est; esse uerò eius est receptiuitas essentiæ.

Exercitatio V.

QVAE contra sextam assertionem adducis, omnino nihili sunt, & cauilla sunt; quod enim scribis fucum me facere, quia pro scientia sapientiam in Aristotelis contextu supposuerim; falsissimum est; quoniam si Physica esset prima scientia; esset etiam sapientia, secundum Aristotelis doctrinam; qui sine hac quoq; ratione Physicam sapientiæ titulo interdum decorauit; ut nuper dicebamus. Cum igitur hęc essent Aristotelis uerba, si igitur non est aliqua alia substantia præter eas, quę natura consistunt; naturali profectò prima scientia esset; quòd si est aliqua substantia immobilis, hæc prior & Philosophia prima; & uniuersalis sic, quòd prima. Potui ego illa sic breuius recitare. nisi sint aliæ substantiæ præter eas, quæ natura consistunt, Physicam fore sapientiam & primam scientiarium: Tua in septimã assertionem crimina nunc expendamus. negas idẽ » esse Tractare ens, quatenus ens, & tractare prima attributa substãtię illius » quę materia & forma cõstare dicitur. ratio tua hæc est Vnum, multa, actus, » potentia, & reliqua attributa ab Aristotele enumerata, quamquam etiam » in naturalibus substantijs reperiantur, quædam & alia in diuinis; non sunt » tamen illarum ita proprie, ut omnibus entibus & enti simpliciter non cõ» municentur; & qui hoc commune ens, & communes hasce entis passiones » considerat, Philosophus nominatur. Hoc tibi probandum fuerat Patriti commune aliquod ens extare super illud, quod naturale est; rationesq; illę tibi erãt diluendæ, quibus ostendimus neq; sinonimos, neq; analogice ens vllum posse reperiri Deo, & rebus alijs commune; sed tu cum ens hoc commune comminiscebaris, nõ meministi te mihi primam & secundam assertionem concessisse; quia memoria es uel fragili, uel nulla; neque animaduertisti te tecum ipso magis pugnare, quàm pugnet cum ruta brassica; negamus ergo tibi attributa illa alijs rebus præter naturales conuenire, nisi fortasse metaphorice, & per externam translationem; tu quomodo probabis? etiam in hoc cõtra Aristotelem, & Platonem tuum stare audebis? aut si illos a sensu tuo stare iudicabas, cur loca à me ex Aristotele & Platone adducta nõ enucleare? tu bellus homo me sine ratione, & sine authoritate, confundere om-

nia dicis,cum nihil nisi multis argumentis,& multis authoritatibus probatum scripserim?tu contra sine ratione, sine authoritatibus omnia? vter nostrum turbulentior est,& furiosior?tu qui in Metaphysicis libris chymeras, harpyias, lernæ belluas, & centum geminos Briareos quæris;an ego, qui de re una,& eadem ijs libris disputari sentio optima methodo,& ordine? Mihi etiam sine ratione fuisset credendum,qui nihil dixerim,aut dicere pro fessus fuerim à veterum traditione,& dogmate dissentiens; tibi uerò quis credat,sine argumentis,& sine authoritatibus præsertim, illud,quod manifestum est receptæ apud omnes opinioni palam aduersari? quis enim te excepto Metaphysicos libros ad facultates diuersas retulit? putarint aliqui inordinatos, & tãquam scopas dissolutos,illos esse;triformes certe,hoc est Logicos, Philosophicos, & Theologicos, nemo nisi tu credidit; ac solus tu scientiarum omnium,ac bonarum literarum natrix,& uiolator,casu eos,& te mere in unum corpus coaluisse existimauit.

Exercitatio VI.

PHYSICA genera, & Physicas species à materia non separari,sicut per octauam assertionem statuebatur hũc in modum Patritius ostendit;Genera & species cathegoriæ substantiæ, aut sunt vniuersalia post multa,aut vniuersalia in multis;illa sunt posteriora omnibus accidentibus, & non in natura sunt; sed cõstant in humana mente;hæc aũt materialia sunt.quia ubi multitudo, ibi ẽt materia ex Arist. doctrina:nõ ergo secũdæ substãtię Physicę sunt à materia separabiles,nõ itẽ materia à materia;neq; forma à materia,à qua pronascit̃,& cui sẽper iũcta est;neq; cõpositũ ex materia separari põt;ex qua,ut ex parte cõstat;nullo ergo modo substantiæ Physicæ sunt separabiles à materia. Hæc tu Patriti;nr̃is in contrariam sententiam argumentis ne tactis quidem; nedum plenè, & perfectè sicut oportebat dissolutis:ad primũ argumẽtũ:Vniuersalia sunt in multis, nõ ob essentialem necessitatem ab ipsis natã,sed ob necessitatẽ eam; quæ à multitudine oritur indiuiduorum; spectant enim vniuersalia ad essentiam illorum, quæ particulatim sumuntur; non tamen è conuerso. ob id genera,& species diuulsam omnino essentiam habet à multis, in quibus est;& à materia quæ multitudinis causa existit;quod vt apertius intelligatur;rem totam explicabo pluribus: perfectè similia sunt, quæ in aliquo conueniunt,in quo differentiam, & dissimilitudinem nullam habent, nisi per res illi externas,in quo conueniunt;secus penitus quàm in Analogicis; nam albedini verbi gratia accidit, vt circumsepta sit niuis vel eboris qualitatibus,vtq; sit in illa,vel in hoc tamquam in subiecto; naturæ item humanæ tametsi internè conuenit(quippe ne otiose degat,) vt non sit nisi in humanis indiuiduis, in quibus illa concurrunt omnia per materiæ potentiã, quæ ad humanas actiones ob fragilitatem necessaria sunt;eidem tamen aduentitium est,vt ad hunc, vel ad illum hominem particularem cõtracta sit: id commune, quod perfectę similitudinis causa existit; quando est de illius essentia, in quo ipsum inuenitur; vt ea dicantur eadem causa est. dici-

mus

mus etenim in Platonem, & Socratem eiusdem fuisse naturæ, non quòd re vera in re prorsus eadem conuenerint;sed quòd similes fuerint perfecta,& non Analogica similitudine in eo, quod vtriusq; essentiam constituebat; Hinc patet, cur ex ijs, quæ perfectam inter se similitudinem gerunt, possit animus haurire vnam rationem, quæ vtriusque naturam ex æquo referat; quòd scilicet animus valeat illa separare, quæ essentialem inter se coniunctionem non habẽt; vnde fit, vt similitudinis ratio ex ijs per abstractionem abiuncta, quæ res illas faciunt dissimiles, vnica, simplex, & eadem in multis videatur: re ueraq; rationes illæ similitudinis si possent sine ope externorũ accidentium consistentes functionibus edendis se exercere in unam illico, & eandem naturam coirent: vt natura humana nisi in agendo haberet opus humanorum indiuiduorum proprietatibus vna esset, & minime multiplex; nullum igitur vniuersale est in multis nisi per similitudinem identitatis; cuncta item vniuersalia, circa quæ scientiæ versantur, & sunt in multis, atq; etiam post multa: quod tu ignorabas; haud verò sequitur; sunt post accidentia, & post materiam; considerari ergo separatim ab accidentibus, & materia nequeunt; alioqui nulla vniuersalia à rebus singulis separarentur vnquam; quomodo autem id, quod est per se vnum per externam materiæ commistionem multiplex fiat, non erit difficile animo cogitare; si cõsiderauerimus omni actui post Deum opt. Maximum potentiam admixtam esse; atque omnem naturam (diuina excepta) esse per se actu unam; multiplicem verò potentia: quæ potentia quando actu latior est, ab agente adiuta; accidentiumque & præuiarum dispositionum ope subleuata, transit ipsa in nouum actum à primo distinctum; sed de his fusius alio loco. ad secundum argumentum; falsum est formam, & compositum secundum essentiam à materia non posse separari. Egregium præterea argumentatorem se Patritius prodit; cum ita inficiatur ens cum naturali substantia secundum Aristotelem conuerti. Nullas Aristoteles alias naturales substãtias nouit quàm tres materiam, formam, & ex his compositum; non ergo ens cum naturali substantia conuertitur, & reciprocatur. Euge euge Logicotate.

Exercitatio VII.

DISERTIS verbis scripseram in nona assertione substantias naturales, quæ genera sunt, & species æternas esse, ab ortuque & interitu alienas; tu tamen, vt numquam non calumnieris, negas me expressisse de quibus substantijs in nona assertione loquerer, de primis ne an de secundis; quo tu referri putas philosophe plusquàm eximie orationem illam meam? Quis autem neget
„ secundas substantias Physicas, hoc est genera, & species, scientia contineri
„ posse? quòd scripsisti Secundas substantias naturales non simpliciter æternas esse; Insignis & vere Patritiana temeritas fuit, cum ab Aristotele absolute fuerit pronũciatum in cap. 3. 6. nichomachion, Scibilia omnia necessario
„ esse, & quę necessario sunt, absolute omnia ęterna esse, generationique &

corruptioni minime subiacere. Sed coerceo me; plus enim Aristotele tu
» sapis: illud tamen falsissime à te scriptum fuit Genera Physica & species per
» partes gigni, & interire, quia indiuidua, in quibus illa sunt, gignantur, & intereant. Non enim vniuersalia includunt particularia actu, sed solum potestate, vt Logici omnes norunt; non ergo indiuidua partes sunt actu generum, & specierum, sed potestate: quod verò modo hoc est, neque oritur, neque interit vnquam; nam quid perdi, aut acquiri de eo per mutationem potest, quod omni actu caret? quod sine argumentis mihi obijcis nonam assertionem tertię contrariam esse; eadem à me negatur facilitate, qua abs te arrogantia dicitur; non enim tanti apud me es, neque apud alios, vt tibi tamquam alteri Pythagorę cuncta etiam sine ratione credi debeant; contra decimam, vndecimam, & tertiam & decimam assertiones, quia tu nihil excogitare ualuisti ob ingenij stupiditatem; (malam enim mentem, & infensissimum veritati animum dubio procul est non defuisse) ad quartę & decimę assertionis examen descendemus;

Exercitatio VIII.



VARTA & decima assertio erat Metaphysicis libris in id cumprimis Aristotelem respexisse, vt ijs proprio sensu expositis, quæ ad Physicorum intelligentiam requirebantur; vt docte quis, sapienterq; naturæ cognitionem possideret; Platonis, & Pythagoræ opinionem expugnaret, qui postremam, & absolutam rerum Physicarum notitiam postulantes vel in idearum ambages, vel in numerorum inuolucra deducebant; in
» qua tu scribis multa esse absurda; Primum quòd non videatur ex tot assertionibus deducta esse. At id Patriti necessarium non fuit; & si fuit; cur id non ante demonstrare, quàm arroganter pronunciares ex præmissis illam deductam non esse? neque hoc ipsum tamen probas; stulte igitur, improuide, & impudenter contra assertiones meas pugnam suscepisti. Subnectis
» Nec dubitationes, quas à principio afferebamus dilluuntur; Istius ego sensum orationis non, ita me dij deæq; ament, intelligo Patriti, quam tibi vel ebrio, vel somnianti puto excidisse. Subdis. Neq; clara sunt, quæ de nu-
» meris dicuntur, quia omnes Pythagoreorum libri, quibus hæc res clarescere
» re poterat, perierunt; relationi autem Aristotelis hac in re non esse standū,
» tertio tomo satis, superq; ostendimus. Probas tu quidem in lib. 3. tertij tomi tuarum discussionum pleraque Pythagoricos de numeris Symbolice, & Hierogliphice intellexisse; quod nec Aristotelis ipse est inficiatus, vt manifestum est ex cap. 5. primi libri Metaphysicorum; at illos non putasse rerum omnium principia numeros esse, nullis argumentis probas nisi Magni Syriani de hac re testimonio, & tua ipsius opinione; sic enim scribis pag. 309.
» Illud verò minime verum esse existimo, quod Ar. asserit allato iam loco [nu-
» merorum Pythagorici principia entium principia esse omnium existimarunt].

» runt] & iterum[numerorum elementa entium,elementa omnium esse putarunt] At cur ita existimes,nullũ argumentum,nullam authoritatem reddis, Syrianumq; es imitatus; qui & ipse hac solum defensione Pythagori-
» cos tuetur. Quòd falsum sit Pythagoreorum quemquam figuras, & ma-
» gnitudines Mathematicas in sensibilibus potuisse; Cum tamen auctorem nobilem,ex quo id hauserit,nullum citet:eò verò estis etiam impudétiores, quòd cum Aristoteli aperte refragemini de Pythagoreorum dogmatibus commemoranti; assignare non valeatis quos speciatim Pythagoreos Aristoteles reprehenderit;quasi plus vobis diuiniantibus sit adhibẽdum fidei; quam diuino,& in veterum lectione exercitatissimo Aristoteli; adeò in vos homunciones temeritas,& arrogantia inuasit. De ideis nihil tu in præsentia,quomodo falsa scripserim,aut qua ratione mecum ipse in illarum disputatione non constem;expectabimus igitur,quid tu ridiculus mus sis aliquãdo pariturus;quando vt ipse scribis,veritus nunc es,ne parergon maius ergo euaderet;cur tamen mentiri non es veritus nunc? scribis etenim meam me de ideis sententiam ex Aristotele comprobauisse;at cur ex Platone,conticuisti?

Exercitatio IX.


SSERTIONIBVS meis infirmiter, & inualide satis impugnatis; pergit Patritius propriam nequitiam,& inscitiam prodere; scribit enim nõ sequi ex illis assertionibus,tametsi ueras esse con-
» cedatur subiectum librorum Metaphysicorum idem esse, quod
» Metaphysicorum subiectum. Imò sequitur: nam si Deus uniuoce, nec Analogice cum rebus naturalibus communicat; non possunt vtraque sub unã facultatem,hoc est sub communem de ente scientiam cadere; cum ergo ijs libris certum sit de ente tractationem,esse institutam cæteris omnibus de alijs rebus facultatibus tamquam architectatricem inseruientem; oportet illud rerum naturalium proprium esse; quæ cum rebus alijs sinonimam, & analogicam communionem habent, non Dei, qui procul est ab omni cum ijs communione:ostensum etiam per septimam assertionem ex uerbis Aristotelis perspicue fuit, ens in Metaphysicis primo & per se substantiam significare non omnem, sed naturalem: Assertiones reliquæ non ideo adductæ, & expositæ,ut sententiam nostram maxime confirmarent; sed ut ex illis potius responsiones peterentur ad omnia Aristotelis loca declaranda, perfecteque explicanda;ex quibus contrarium primo aspectu deduci uideretur;sic enim in initio receperam;per eas assertiones, totam consequentẽ disputationem uelut firmiorem, ac stabiliorem effectam iri.

Exercitatio X.

VIDEAMVS modo, quàm belle tu Ariſtotelis perpetuus &
capitalis hoſtis, Ariſtotelis loca explanes, in quibus mea de
Metaphyſicorum inſtituto ſententia non obſcure innuitur.
2.cap.primi libri de cauſa,& initio Philoſophãdi haberi ora-
» tionem ſcribis,non autem de Metaphyſica: At falleris; ita Ari-
» ſtoteles,Quòd hæc ſcientia non factiua ſit,ſed ſpeculatiua ex primis Philo-
» ſophantibus patet: Oportet ergo primos illos, qui Philoſophati fuerunt
res Metaphyſicas tractaſſe;ſecus unum aſſumitur in cõcluſione, & alterum
in probatione; quod uitium in argumentando maximum eſt.3.capite eiuſ-
» dem libri ob id ſcribi putas de cauſis diſputationem Phyſice habitam in Me
» taphyſicis repeti, ut nimirum aut alia cauſa inueniatur, aut magis creda-
tur ijs, quæ de cauſis in Phyſicis dicta fuerant. at quid ego amplius uolui
Patriti? nõ enim alia cauſa inuẽta ab Ariſtotele eſt ab agente,à forma,à ma-
teria, à fine, de quibus in Phyſicis orationem habuerat;ob id igitur tracta-
tio de cauſis repetita in Metaphyſicis, ut magis credatur ijs,quæ expoſita in
Phyſicis fuerãt;Metaphyſica ergo referuntur ad Phyſica; tu uerò non ani-
maduertis præ barditate aliam cauſam hoc loco non ſecundum materiam
accipi,pro ea,quæ ſupernaturalis eſt;ſed ſecundum formam pro ea,quæ ab
agente,à materia,à forma,& à fine diuerſa ſit.Quod ad loca attinet ex 2.Me-
taphyſico petita,non ita illis uſus ſum,quaſi non alia haberem; ſed ut oſten
derem ubique Ariſtotelem à me & ab opinione mea ſtare; neceſſeque pro-
pterea non habui demonſtrare,librum eum ad Metaphyſicum opus perti-
nere;cum quando etiam alio ſpectet, ſicut multis argumentis Iacobus Sa-
doletus Cardinalis, & Ioannes Franciſcus Beatus non ita pridem oſtende-
runt:contra quos Franciſcus Vimercatus abundè ſcripſit;nihil inde contra
me incommodi ſequatur.in textu tertio tertij libri declarando,immemorẽ
te enunciationis illius demonſtrauiſti maxime in ſcholis tritæ,adducere in-
conueniens,nõ eſt ſoluere dubium;cum enim Ariſtoteles in eo ſcribat om-
nes actiones eſſe cũ motu indeq; ego collegiſſem nõ niſi de Phyſicis actio-
nibus in Metaphyſicis orationem ſuſcipi; quòd Dei, & intelligentiarum
actiones procul ſint ab omni motu; tu ex ijſdem uerbis inferri etiam poſſe
contẽdis de humanis ſolum actionibus Ariſtotelem in Metaphyſicis loqui,
quia Praxeos uocabulo uſus fuerit,quod non naturæ, ſed hominis actionẽ
ſignificat;ſic ſoles ſemper,pro Theſauris carbones exhibens ſtudioſoſque
miſere deludens;at nego ego tibi praxeos uocem humanam tantum actio-
nem ſignificare;πράξις enim à πράττειν, quod interdum conficere & ad fi-
nem deducere ſignificat;quemadmodum ἀπρακτεῖν pro nihil perficere po-
nitur. hinc Polybius πρακτικὸς accipit pro efficax; & Plutarchus πρακτικῶς
pro efficaciter;& Philoni ἀπραξία idem eſt, quod inertia ſecundum Budei
interpretationem; quæ ſignificata,non in hominem modo,ſed in rem etiã

aliam

aliam quamcumque naturalem conuenire possunt:& πράξις ergo, hoc est actio, factionem omnem, hoc est operationem significare poterit. Ad textũ 2. ex 4. libro non respondens nisi meam in illum expositionem negando; quam tamen probaueram in 7. assertione: ibi enim claris ostensum argumentis ens Aristoteli non significare nisi illud, quod naturale est; hoc opinionis meæ caput, hoc fundamentum, contra quod nullum tu lapidem mouisti, cum tamen sententiæ meæ immanem euersorem te ubiq; iactites. cum ergo scripseris Non omnes enti ab Aristotele assignatas proprietates in entia naturalia quadrare; Illæ quę essent, indicare non ualuisti; quæ tamen res bono logico de necessitate erat faciunda; & cum iterum subtexueris Non illas quæ quadrant, primò & per se quadrare, sed per ens communissimũ. non consideraũisti ens huiusmodi nullum & nusquam esse; etenim si esset, vel synonimum, vel analogum esset; quorum tu neutrum admittis. corruunt ergo uniuersæ illę tuæ responsiones Eatenus in Metaphysicis agi de naturalib. rebus, quatenus sunt partes quædã entis uniuersi, quòd soleat is, qui de genere tractat, species etiam comprehendere: Alias authoritates non alio modo declaras, quàm vel in Metaphysicorum cõfusionem refugiendo, vel in chimeram illam tuam, qua ijs libris de tribus genere diuersis facultatibus de ente, de Logica, de Deo orationem institutam esse somnias; de qua re mox; præclara interim coronide Apologiam tuam claudis arrogantiæ videlicet, inscitiæ, & temeritatis plena, diuino præceptore calumniando; quem à te spurcissimo homine nefas est nominari; uerba tua de illo hæc sunt. De Deo & de intelligentijs disputatio erat primus Metaphysicorum librorum scopus, & res à principio proposita ad inquirendum; quamuis confuse, & perplexe, & uarijs ambagibus eam fuerit prosecutus.

Exercitatio XI.



IRVM Patriti numquam potuisse te intelligere opinionem illam tuam de tribus Metaphysicorum subiectis à me fuisse refutatam; efficiam igitur nunc, vt intelligas; sunt Metaphysici libri ordinatissimi, vt ostensum est in calce prioris operis; sunt item bene, integre, & Aristoteleo more iuncti, vt demonstratũ fuit in eiusdem operis initio; ad idem ergo subiectum genus pertinent, non ad tria: ostensum præterea fuerat nullum commune ens in Aristotelis doctrina extare supra res, & substantias naturales; de Deo item priuatã scientiam non posse confici: an non igitur ex his consequebatur stultam, ineptã, & sine ulla ratione opinionem tuam esse? Sed hic mos tuus est; nihil credere, nisi quod egressibus oratorijs sæpius, ac sepius inculcatum fuerit, quia longissimæ, & plus quàm asininæ tibi sunt auriculæ; subit nunc cogitatio insigne peccatum tuum manifestare; scribis enim de Deo, & de ente tractare ex professo, non ad eundem artificem, sed hoc ad Philosophum, illud ad Theologum spectare. Es ergo arrogantissimus, & impudentissimus, placet

ne

ne epicheremma? obſcurius eſt; facilius dicam; receptum in ſcholis dogma eſt à Diuo Thoma profectum ſcientiarum ſubiecta diſtingui non quatenus res ſunt, ſed quatenus ſcibilia ſunt: ſcibilium autem differentiam ſumi penes varium cõſiderandi modum, non penes rerum genera, illum eſſe triplicem; quia res conſiderentur uel re, & ratione in materia, uel re ſolum, & non ratione, vel neque re, neque ratione: Deum, & ens commune ad eandem ſcientiam ſpectare; quia vtraq; re & ratione cum ſint abiuncta à materia, conueniant in modo conſiderandi. Hæc igitur ex ſtudioſorum animis reuellenda ante fuerant bonis argumentis, & bonis authoritatibus, quàm dogma tuum arroganter pronunciares, Ens & Deum ad diuerſas facultates pertinere. Nihil enim licet nobis Peripateticis ſine ratione credere; & procul à nobis abſunt Diotimæ, & Fatidicæ illę ueſtrę: Satisque tecum ſit mihi temporis expenſum modo.

F I N I S.

